






10000


F.A

16

COL







R. 30.090



1890

COLLEGIJ  
SANCTI THOMÆ  
COMPLUTENSIS,  
DIALECTICÆ  
INSTITUTIONES,  
SIVE LOGICA PARVA.  
NONA EDITIO.

*Ex Bibliotheca  
Maximæ*

*reca  
- Ferrandus*

Anno

1744.



CUM PRIVILEGIO.

Compluti: Typis Viduam Josephi Espartero,  
Typegraphi Univerſitatis.



ILL. DONO

D. F. PETERO DE AYALA  
EPISCOPO

EX ORDINE  
CUM  
QUA M...





**ILL.<sup>MO</sup> DOMINO**  
**D. Fr. PETRO DE AYALA,**  
**EPISCOPO ABULENSI,**  
Ex Ordine Prædicatorum assumpto.

**Q**UAM gratum fuerit nobis pro opusculi  
huius Logicæ parvæ Illust. D. Vestre,

benedictionem quærere, noverit, qui scit, cuius ingenio & labore spiritus latens in illo, in lucem prodierit: illius ergo benedictione ad sui editionem indiget, cuius opera per tot, & acutissimas disputationes spiritus lucem accepit.

Nec in hac editione octava posuimus partem vel particulam hanc benedictionibus Ill. D. V. non offerre, qui gratitudinem nostram volumus ostendere. In septem editionibus huius opusculi, illius Dagni & Insignis filij huius Collegij, necnon Parentis totius Ordinis nostris favorem invenimus, & adeò feliciter, ut nihil nobis amplius desiderandum videretur sed in hac octava, spei nostræ perfectionem quaerimus, qui de summa virtute cū summa sapientia coniuncta in Ill. D. V. ita gloriamur, ut veluti in Petro summitas Theologiæ & summitas virtutū in munere Pastoralis cunctorum admiratione, & laude in Ill. D. V. replendant.

In hoc Insigni Collegio Sapientia, Religio, Virtus, & Sanctitas in Ill. D. V. sacra contentione adeò decertarūt, ut solus spirituum ponderator discernere possit, nū summas sapientiæ apicem virtutem superaverit, num supra Sapientiam Virtus, Religio, & Sanctitas se elevarint, num virtus cedat sapientiæ, cum hæc superetur ab illa. In utroque magnum, in specula Militaris Ecclesiæ velut Vigilem & Pastorem miramur, & inter Magnos Parentis nostri

**Dominici primitias spiritus habentes, in culmine paupertatis & fastigio Dignitatis intuentes, inter filios & Pastores veneramus Magnum, & Maximum.**

Et quommodo non fatebimur Magnum, & Maximum, quem ad magna & maxima natum quasi indignabit & ortus? Quem illicò ac natū ostendit, dedit quasi non natum in lucem, & ad illuminandum editum, & quasi cōmuni hac luce privatum: iam ortum, iam quasi mortuum. Taceo Ill. D. taceo Petres; non enim verbum hoc capiunt omnes; non dicam mysterium, sed pro gloria Dei fortasè miraculum: Sed nec nos qui toties miramur, capere possumus. Qui potest capere capiat. Scimus tamen tantū Petrum, & gloriam quam de tanto Petro habemus, alteri Petro scilicet de Alcantara Fratri nostro debere. Petrus ergo & suum, & nostrum Petrum protegat, ut spes nostra in tanto Præsule videat, quod desiderat.

**ILLVST. D.**

**Pro Collegio S. Thomæ Complutensi;**

**Humilimus Servus Illust. D. V.**

**Fr. Andreas Barcaiztegui.**

**Mag. & Rēct.**

## LICENCIA DE LOS SUPERIORES.

**T**iene el Colegio de Santo Thomàs de Alcalà Licencia de el M. R. P. Mro. Fr. Luis de Villazàn, Provincial de la Provincia de España, Orden de Predicadores, de el Ordinario, y de el Consejo Supremo de Castilla para imprimir un Libro, intitulado: *Dialectica institutiones, sive Logica Parva*. El qual aprobaran, por la Religion, los M. RR. PP. MM. Fr. Thomàs Carbonel, Prior de el Convento de Santo Thomàs de Madrid; y Fr. Francisco Uria, Provincial, que ha sido, de esta Provincia de España, Orden de Predicadores: Por el Ordinario, el M. R. P. Mro. Fr. Dionysio de Zayas, Cathedratico de Visperas de la Universidad de Alcalà: Y por el Consejo, el Doctor Don Antonio de Medina, Confessor de el Real Convento de la Encarnacion de Madrid,

## SUMMA DEL PRIVILEGIO:

**T**iene Privilegio el Colegio de Santo Thomás de Alcalá, por tiempo de diez años, para que nadie, sin su licencia, pueda imprimir este Libro, intitulado: *Dialecticæ institutiones, sive Logica Parva*, que juntamente es Privilegio para todo el Curso, como mas largamente consta de su Original. Dado en Madrid à diez y siete de Julio de mil setecientos y quarenta y vno.

D. Miguel Fernandez Munilla.

---

## SUMMA DE LA TASSA:

**L**OS Señores del Real Consejo de Castilla, tassaron este Libro intitulado: *Dialecticæ institutiones, sive Logica Parva*, à seis maravedis cada pliego, como mas largamente consta de su Original. Dado en Madrid à catorce dias del mes de Julio de mil setecientos y quarenta y vno.

D. Miguel Fernandez Munilla.

## ERRATA SIC CORRIGE:

**P**ag. 2. lin. 3. operi, *leg.* operis. lin. 5. ibi-  
dem lumine, *leg.* limine. Pag. 3. lin. 15.  
tropic, *leg.* topico. Pag. 57. lin. 21. nen, *leg.* non.  
Pag. 99. lin. 17. tihos, *leg.* etiops. Pag. 128.  
lin. 23. sabijcitur, *leg.* subijcitur. Pag. 129. lin.  
22. propositinnem, *leg.* propositionem. Pag.  
137 lin. 7. amabimns, *leg.* amabimus.

Ex ordine, & commissione Supremi Castellæ  
Senatus vidi librum inscriptum: *Dialecticæ  
institutiones, sive Logica Parva*, hisque erroribus  
demptis, suo prototypo convenit. Martii die  
16. Maij, Anno Domini 1741.

*Lic. D. Emmanuel Licardo  
de Rivera.*

*C. M. Generalis Corrector.*

JESUS,  
MARIA, Y JOSEPH.

# DIALECTICÆ INSTITUTIONUM.

PARS PRIMA.

*QUÆ TRIBVS LIBRIS SVMMVLARVM  
textum complectitur.*

PRÆLVDIVM:



**I**NSCRIPTIO, finis  
operis divisio, modus  
procedendi, nec non pra-  
xis in disputatione ser-  
vanda exordia sunt, à  
quibus artis Dialecticæ  
tractatores, suam solent

Dissertationem auspiciari: iure quidem opti-  
mo. Inscriptio quippè, veluti radius veritatis  
primo aspectu totius operis argumentum præ-  
fert; ex fine utilitas pensatur divisio confu-  
sionis tenebras, quibus tyrones maximè detri-

2  
nentur, procul eliminat: methodus verò, & disputatio rectè inita ad difficilia quæque viam perspicuitate sternit. Hinc eveniunt gratia operi, aviditas, magnaque spes studiosis superandi obstacula, quæ à lumine deterrebant.

## INSCRIPTIO.

2. Nec nomen huius artis luce laudis vacuum est; pluribus enim nominibus insignitur, quorum hæc sunt potissima, *Logica parva, dialectica, summula, institutiones.*

*Logica* à verbo *logos*, quod est ratio, vel sermo, idem valet, ac scientia rationalis: dicitur rationalis, non solum quia est in ratione, ut in subiecto: quod ipsi cum reliquis scientiis est commune, sed quia versatur circa operationis, idest, circa actus intellectus, eos regulis dirigendo, eorumque ordinem, & structuram speculando, vnde diffinitur *Logica: Facultas præscribens intellectui modum indagandi veritatem.* Logica simpliciter prolata, est Logica magna, quæ ideò dicitur magna, quia res ad hanc scientiam spectantes fusius, & exactius tradit, ac verò opposita de causa tractatus iste appellatur Logica parva: quia nimirum præcepta quædam vitia ad facilius capeffendum; quæ in Logica magna traduntur compendio perstringit.



3. *Dialectica* originem trahit à verbo græco *Dialogome*, quod apud Ciceronem lib. 3. de *Natura Deorum* significat, probabiliter disputare: quare vocis proprietate spectata: posset definiti *ars probabiliter disputandi*. Cæterum iam usus obtinuit, ut ad omne disputationis genus significandum se extendat; unde, à Parente August. lib. de *Principijs Dialecticæ* definitur, *scientia benè disputandi*. In super, & describitur; *Ars artium disciplina disciplinarum*; hæc subdit. *D. S. decet docere, hæc docet discere*, in hæc se ipsa ratio demonstrat, atque appetit, quid sit, qui velit, quid valeat, scit sola scire: sola scientes facere non solum vult, sed potest. His consonat definitio Boetij in *Comment. Tropic. Disciplina, quasi differendi quedam magistra continens in se inveniendæ, iudicandique peritiã*. Et quam tradit Cicero lib. 4. *Academ. Veri, & falsi quasi disceptatrix, & index*: illa tandem satis tria *ars differendi, cuius finis est, verum à falso discernere*. Quæ ab Ang. definitio non discrepante, cum ut inquit *S. D. lib. 1. cont. Cresc. cap. 3. verus disputator, veritatis sit à falsitate discretor*.

4. Vocatur tractatus iste *Summule*, etenim cum *Logica Aristot.* disputet de his, quæ vehementer concipiuntur, ardua sanè, & per difficilis apud omnes semper est habita; quare una fuit mens plurium, quorum primus, & facile princeps fuit noster *Petrus Hispanus*, præ nunc

4  
tere summam quandam collectam ex varijs  
locis Logicæ Arist. præsertim ex libris de in-  
terpretatione, & priorum, continentem quid-  
quid ad partem prioristicam spectat, idest præ-  
cepta, sive idæam rectè disputandi ex parte for-  
mæ, quæ proindè isagoge, sive introductio quæ-  
dam ad Logicam esset Arist. imò totius Philo-  
sophiæ prima essent incunabula, alijsque scien-  
tijs, tum divinis, tum humanis fasces præfer-  
rent. Sed quia veteres plus iusto in his moraban-  
tur, qui volumina plurima in inutilibus sophis-  
ticis, & incensuetis argumentis conficientes,  
ingentem, & obstrusam quæstionem multitudi-  
nem in magnam summam compilabat, non sine  
magno instituendæ iuventutis detrimento: id  
circò communi usu; & plausu receptum est,  
prædictam disputandi artem compendio tra-  
dere, non iusto Marte pugnando, sed velli-  
catione quandam præludendo, differendoque  
non nulla aptè Logicæ magnæ præludentia.  
Hinc Sumularum nomen derivatum est, quasi  
hæc, quam traddimus, brevis parvaque sit sum-  
ma brevi concludens, tum necessaria ad manu-  
ducendum in Logicam Arist. tum selectiora  
ex illis, quæ fusi in prædicta summa à veteri-  
bus dialecticis fuerunt disputata.

5 *Institutiones.* Præcepta quædam sunt ad ar-  
tem aliquam viam sternentia, quæ Græcæ isa-  
goge. Undè Quintillianus opus suum, quo futu-  
rum

rum oratorem instituit, institutiones inscrip-  
sit: hac etiam de causa apud iuris peritos insti-  
tutionum nomen obtinuit tractatus ille, qui vi-  
am parat ad subtiliora Iurisprudentiæ penetran-  
da: hic ergo liber, qui principia, primaque lo-  
gicæ elementa traddit, vt eorum repetitione  
opus non sit passim quæstiones obscurare, me-  
rito *dialecticæ institutiones nuncupantur.*

## FINIS.

6. Artium duplex est finis, proximus scili-  
cèt, & remotus: proximus est illa perfectio,  
quam artis beneficio primo comparamus; re-  
motus est perfectior, cui tandem deservit fi-  
nis proximus artis; sicut finis proximus artis  
nauticæ est velox, & secura navis per aquas  
traiectio; finis autem remotus est mercium  
asportatio: sic etiam finis remotus Logicæ  
coincidit cum fine aliarum scientiarum, qui-  
bus ipsa deservit, & est indefectibilis attin-  
gentia veri, illud à falso in quacumque mate-  
ria discernendo: finis verò proximus est rectè  
disponere operationes intellectus in ordine  
ad veritatis indagacionem: sic tandem finis  
remotus Dialecticæ coincidit cum fine Logi-  
cæ, cui, vt diximus, viam dialectica sternit,  
& est operationes intellectus dirigere, ne er-  
rept in attingentia veri; finis verò proximus

est mentem disponere ad difficiliora logicæ  
capienda facilior.

7. Hinc iam utilitas, imò necessitas Dialecticæ commendatur; Logicæ quidem necessitas, quam Angelicus Præceptor in 1. post eleganter demonstravit his verbis: *Ars est certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt. Sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu manu ratiocinatur, adinventum est ars adificatoria, vel fabrilis, per quam homo faciliter, & ordinatè huius actus exercere potest, eadem ratione ars quadam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicèt homo in ipso actu rationis ordinatè, & faciliter, & sine errore procedat. Et hæc est ars Logicæ, idest, rationalis scientia. Simili nos ratiocinio necessitatem Dialecticæ colligimus. Quotiescumque actus humani benè, & malè possunt fieri, necessaria est ars præscribens regulas, ut ordinatè, & sine errore fiant; cum ergo possint plures defectus contingere ex parte formæ, & prioristicæ dispositionis circa actus intellectus, planè sit consequens, artem quandam necessariam esse, quæ intellectum benè disponat, ut ordinatè, & sine errore ex parte formæ in suis operationibus se gerat, & hæc ars est Dialectica sive scientia disputandi.*

\* \* \*

## DIVISIO.

8. *Philosophia* nomen est græcum, quod apud Latinos resonat amorem scientiæ. Eam veteribus placuit diffinire: *Humanarum, Divinarumque verum cognitio prout naturalis rationis lumine investigari possunt.* Celebris est Philosophiæ divisio in naturalem, moralem, & rationalem: naturalis naturas rerum investigat, moralis actus humanos considerat, rationalis verò dirigit operationes intellectus. Est ergo Logica rationalis Philosophia, subindeque pars Philosophiæ, quæ circa operationes intellectus, ut circa propriam materiam tota versatur. Eam rectè Philosophus processit dissectando in plures libros, quorum alij continent pertinentia ad vnam operationem, reliqui pertinentia ad alias, & quia operationes intellectus sunt tres, nimirum *simplex apprehensio: compositio, seu divisio, & discursus*: quarum prima percipit res nil de illis affirmando, vel negando; secunda affirmat, vel negat aliquid de rebus: tertia ex uno cognito ad alterius ignoti cognitionem progreditur: Id circo Philosophus Logicam distribuit in plures libros, quorum alij disputant de spectantibus ad primam operationem, ut liber prædicamentorum, alij de pertinentibus ad secundam, ut libri de interpretatione; alij de spectantibus ad tertiam, ut libri

priorum; posteriorum, topicorum, & elenchorum. Pari consilio Dialecticam, cum eius propria materia sit triplex operatio intellectus, in cuius bebica ordinatione recta disputatio consistit, in plures libros dividimus: quorum singuli ad singulas operationes dirigendas doctrinam opportuna compleant distinctione.

## METHODVS.

9. Methodus. *Modus est ordinatè procedendi in veritatis indagatione.* Ea optima est, quam tenuit Aristot. in Logica. Cum enim Logica versetur circa tres operationes intellectus, quarum prima ordine ad secundam, & secunda ad tertiam; primò egit de prædicamentis quorum doctrina pertinet ad primam operationem. Deindè de propositione, quæ pertinet ad secundam, in libris de interpretatione, tandem de discussu demonstrativo, probabili, & sophistico, qui spectant ad tertiam operationem, in libris Analyticorum, quorum alios *priorum* alios *posteriorum* in scripsit, nec non in Topicis, & Elenchis. Hanc nos Methodum, præ oculis habentes, Dialecticam secundum ordinem operationum intellectus dividimus in tres libros; in quorum primo agemus de terminis, alijsque nonnullis, quæ ob sui simplicitatem sub prima operatione

continentur, in secundò de propositione, quæ  
pertinet ad secundam operationem, in tertio  
de syllogismo, alijsque argumentationis spe-  
ciebus, quæ ad tertiam operationem spectant.

## PRAXIS IN DISPUTATIONE servanda.

10. Cum modum sciendi scientiam præire  
sit necesse, dialecticæ, quæ licet sit ars dispu-  
tandi: nonnulla disputatione adiscitur, dispu-  
tationis praxis iure præmittitur.

11. Disputatio, cum sit sermo inter duos  
ordinatus ad indagacionem veritatis, initur  
inter opponentem, sive arguentem, & respon-  
dentem, sive sustentantem. Præcepta dispu-  
tatione servanda quædam sunt utrique com-  
munia, quædam verò singulis propria.

12. Uterque observare debet: Primò, ut  
dum incipit, veniam sive dicendi facultatem  
verbis more academico receptis petat. Se-  
cundò modestiam, nè concertationis æstu  
correptus verbum ofensionis incurrat, &  
rem alioquin ingenuam, incibiliter peragens,  
ingratam exhibeat confidentibus. Tertiò,  
contentionem caveat, idque maximè obti-  
nebit, si dum alter loquitur, silentium teneat,  
quod si fecus fiat, nullus ordo, sed totum erit  
chaos; non veritas patebit, sed sub nebula

To

confusionis potuit delitescere. Quartò ut obscuritas vitetur, neuter ultra progrediatur, si vel alterius verba, vel verborum sensum plenè non fuerit affectus, inò sistat, & petat, ut vel verba repetat, vel quid sibi per illa velit, exponat. Quintò in quaestionibus de re, non contendatur de nomine, sed vocis significatione facile communi consensu stabilita, ad rem libenter properent. Sextò, brevitatem ament, illis, quæ re non sunt, concisa methodo resecatis: nam ad punctum veritatis via recta iter est brevissimum. Denique, nisi Sophisticam agat, insidias fastidio, cordi claritatem habeat, nec quod usitata voce, vel termino positivo valet exprimi, inconsuetis verbis, aut sub carentiarum involucris obtrudat adversario.

13. Arguens verò animo advertat, duplici se posse telo impetere propugnantem scilicet syllogismo, & enthymemate: syllogismus est argumentum constans ex tribus propositionibus, & nota illationis: prima propositio vocatur maior, secunda minor, tertia consequens, vel conclusio; nota illationis est particula: *ergo: exemplum.* Omne bonum est appetendum; omnis delectatio est bona: ergo omnis delectatio est appetenda. Enthymemate est argumentum constans ex duabus propositionibus, quarum prima dicitur antecedens,

&



& secunda consequens, & ex nota illationis.  
*Exemplum.* Omnis delectatio est bona: ergo  
 omnis delectatio est appetenda.

14. Hoc præmonitus arguens observet  
 primo, ut post veniam ab adstantibus, petitan  
 dicat *adversus partem, in qua defendis, &c.* Sic ar  
 gumentor, & argumento succinte proposito,  
 prolequatur: *Difficilioribus pro tui ingenij dexte  
 ritate facile satisfacies.* Secundo inferat pro  
 conclusione directe, initio quidem disputatio  
 nis, contradictorium partis adversus quam  
 arguit, deinceps verò propositionem sibi à  
 respondente negatam, quo fiet, ut nec me  
 dium mutet, nec assumat pro antecedenti id  
 ipsum, quod in quæstione versatur. Unde si  
 probare debet, *non omnem delectationem esse ap  
 petendam* male arguet dicens, *non omnis delecta  
 tio est appetenda: ergo falsa est conclusio:* sed assu  
 mere debet pro antecedenti, causam, effec  
 tum, inconveniens, sive quid aliud diversum  
 à propositione probanda, quare rectius ar  
 guet, si dicat, *aliqua delectatio est turpis: ergo non  
 omnis delectatio est appetenda.*


15. Secundo. Respondens incipiat dicens:  
*Adversus partem, in qua defendo, &c. arguit sic  
 gravissimus, & sapientissimus D. Doctor, vel Ma  
 gister.* curet, ut totum argumentum fideliter  
 repetat, mutare perpendens singulas o[mn]i  
 las; an veræ, falsæ, vel dubiæ sint: deinde ite

rum incipiat argumentum repetere, & præmissas, quos adverterit, esse veras, concedat, quas noverit, esse falsas, neget, quas viderit esse dubias, distinguat eas in verò sensu concedens, & in falso negans. Si consequens infertur benè ex præmissis, concedat non consequens, sed consequentiam: si non infertur neget similiter non consequens, sed consequentiam: si verò sit dubium, distinguat non consequentiam, sed consequens, & in sensu verò concedat consequentiam, & in falso neget illam.

16. Tertiò. Si neget aliquam ex præmissis, ultra non procedat, sed expectet probationem: si verò concesserit, aut distinxerit præmissas, procedat ad consequentiam, vt illam neget, vel concedat. Quartò si videat aliquam ex præmissis nihil operari ad inferendam conclusionem, potest, quamvis sit falsa, eam non negare, & quamvis dubia sit, non distinguere, sed illam gratis opponenti dare, dicens transeat, vel (vt absit iniuria verbo) permitto: do, vel omitto. Si autem invenerit, propositionem sibi obiectam præter id, quod expressè affirmat, tacite falsum importare, vt contingit in hac propositione, *homo antiquior Adamo disputat* dicat *neq̄ suppositum*. Si tandem notet, alicuius termini suppositionem impediri ratione alterius termini repugnantis, vt

13

accidit in ista. *Angelus corporeus intelligit; respondeat implicat in terminis.* His rudi minerva, in ipso vestibulo Dialecticæ prælibatis, sit.



# LIBER PRIMVS.

*Dialecticæ de his, quæ spectant ad primam operationem intellectus.*

## CAPUT PRIMO.

*De diffinitione, & divisione signi.*

17. **D**ialectica est ars disputandi, disputatio disposito sermone, sermo verò voce significante exercetur; hac ratione ductus Aristot. nomen, verbum, orationem, cæteraque instrumenta logicalia per significationem diffinivit: quare, ut ad illa facilius aditus, prius nobis est statuendum quid, & quotuplex sit signum.

18. Et quia, cum de rebus, agitur, nominis rationem contemnendam non esse, monet Plato in Cratillo, non abs re erit ante rerum definitionem, quoad fieri possit, nominum significationem exponere. Signum igitur idem valet, quod character, sive parva nota, indicans totius rei qualitatem: ideo enim rei signum imponimus, ne cum alijs confusa à nobis non cognoscatur: hinc signatum dicitur cui signum imponitur, ut ab alijs possit dignosci.

*Def. 9.* Dicitur ergo signum: *Obiectum quod potentiae cognoscitivae aliquid aliud à se representat.* Constat haec definitio genere, & differentia, & in ea *obiectum* ponitur loco generis: quia ratio *obiecti*, ratio est communis, in qua signum convenit cum alijs, quae signa non sunt: *representare aliud ad se* ponitur loco differentiae, quia per hoc discernitur ab alijs à se distinctis. Pro maiori explicatione praedictae definitionis oportet evolvere singulas particulas. *Obiectum* est res illa, quae obijcitur potentiae, ut ipsa percipiatur & est triplex *terminativum tantum, terminativum tantum, terminativum & terminativum simul.* Motivum tantum est, quod movet potentiam, non tam ad sui, quam ad alterius rei cognitionem, ut imago imperatoris, quae intellectum excitat, ut cognoscatur imperator: terminativum tantum, est

res cognita per notitiam ab alio obiecto productam, ut Imperator cognitus per imaginem, qui ideò dicitur terminare tantum, quia in illo sistit cognitio, ad quam non ipse, sed ipsius excita verat imago: motivum, & terminativum simul est, quod movet potentiam ad sui ipsius cognitionem, ut lapis, cum in se ipso videtur. Ex his solum obiectum motivum tantum obtinet rationem signi quia solum istud repræsentat aliquid à se distinctum.

20. *Repræsentare* est rem præsentem facere, & stat tripliciter, scilicet *obiectivè*, *formaliter*, & *instrumentaliter*: *obiectivè* repræsentare convenit obiecto, & est, rem se ipsam obijcere, & præsentare potentia: *repræsentare formaliter* dicitur de notitia, & est reddere præsens obiectum potentia illam informando: *repræsentare instrumentaliter* convenit vestigio, vel imagini, & est media sui cognitione reddere præsens potentia aliquid à se distinctum, significare autem solum dicitur dupliciter, nempe *formaliter*, & *instrumentaliter*: unde repræsentare latius patet, quam significare, proindeque rectè ponitur loco generis in definitione signi, *obiectum repræsentans*.

21. *Aliud à se* positum in diffinitione excludit à ratione signi res, quæ obiectivè repræsentant se ipsas, & denotat signum debere repræsentare aliquid, quod sit diversum ab ipso secundum essentialitatem.

22. Nomine potentia cognoscitiva comprehenditur etiam potentia sensitiva, non solum hominum, sed brutorum; nam experientia constat, canes accedere consuetis nominibus vocatos; ac per consequens moventur signis ad aliquid aliud ab eis percipiendum.

23. Ex dictis colligitur, quod ut aliquid obiectum habeat rationem signi, triplex requiritur conditio. *Prima*, quod inter ipsum, & signatum sit distinctio specifica, & essentialis, unde vnus homo signum non est alterius hominis. *Secunda*, quod sit notius signato, ratio est manifesta: nam manifestat illud, & id circo invisibilia non sunt signa, per quae nobis innotescant visibilia. *Tertia*, quod sit imperfectius signato, quia cum sit medium, via, & dispositio ad signati cognitionem, comparatur ad illud, ut imperfectum ad perfectum.

\* \* \*



## §. I.

## Dividitur signi.

24. **C**um signum sit medium, per quod potentia cognoscitiva tendit ad signatum, importat habitudinem, tum ad potentiam, tum ad signatum, & ex utroque capite multiplicem suscipit divisionem: & quidem ratione habitudinis ad potentiam, dividitur *informale*, & *instrumentale*. Formale est, quod *se ipso, & non mediante alio repræsentat*, ut conceptu hominis repræsentat hominem; non mediante alio conceptu. Instrumentale est, quod *præexistente cognitione sui aliquid repræsentat*, ut vestigium pulveri impressum, quod per sui præexistentem cognitionem ducit in cognitionem animalis, quod transivit. Unde signum formale, & instrumentale differunt in eo, quod instrumentale, ut actu repræsentet, petit duplicem cognitionem, alteram signi, alteram signati, nam repræsentat, ut medium *per quod*, sive ut obiectum, quod prius cognitum inducit ad alterius cognitionem: formale verò unicam tantum pro se, & pro signato petit cognitionem: quia est medium *in quo*, sive forma, quæ se ipsa informando potentiam, reddit illi præsens obiectum.

25. Signum formale, vel (quod idem est)

conceptus mentis sub dividitur primò in intuitivum, & abstractivum. Intuitivus est noticia rei presentis, ut noticia, quam habeo de hac papirò: abstractivus est noticia rei absentis, ut noticia, qua alicui repræsentatur Pater defunctus: inter hos conceptus quatuor numerantur differentia. Prima ex parte causæ efficientis: quia intuitivus causatur ab obiecto præsentis imminente, vel conservante species; abstractivus verò causatur ab speciebus relictis in absentia obiecti: secunda ex parte effectus: quia cæteris paribus, intuitivus certior est, quam abstractivus: tertia ex parte ordinis; nam intuitivus semper præcedit abstractivum eiusdem obiecti, vel alterius; eiusdem, ut cum recorder parentis defuncti, quem prius vidi: alterius, ut si Romam, à nobis numquam visam, cognoscamus ad similitudinem alicuius Civitatis, quam vidimus. Quarta ex parte subiecti, quia intuitivus in intellectu, & in sensibus internis, & externis; abstractivus verò in sensu externo non repetitur.

20. Subdividitur secundò signum formale, vel conceptus in directum, & reflexum, directus est conceptus rei, ut conceptus, quo lapidem cognosco; reflexus est conceptus alterius conceptus in eodem cognoscente, ut conceptus, quo cognosco, me cognoscere.

27. Subdividitur tertio conceptus in ultimi-



*matum; & non ultimatum: non ultimatus est conceptus signi, ut conceptus imaginis, vel vocis significativæ: ultimatus est conceptus rei representatæ per signum, ut conceptus lapidis, qui per hanc vocem lapis representatur.*

28. Ex parte habitudinis, quam dicit ad signatum, dividitur signum in *naturale, ad placitum, & ex consuetudine* Naturale est, quod ex natura sua aliquid representat, ut fumus ignem: unde duas habet proprietates, una, quod idem apud omnes representet; altera, quod à sua significatione nequit deponi. Signum ad placitum est: *Quod ex libera imponentium voluntate aliquid representat, ut vox homo: unde duas etiam habet proprietates, prima, ut non significet idem apud omnes: ut vox homo significat hominem apud Latinos, non apud Mauros: secunda, quod possit pro libito imponentium à sua significatione deponi. Signum ex consuetudine est; quod ex usu quodam, & consuetudine aliquid aliud à se representat, ut mappa supra mensam significant prandium.*

29. Sub dividitur signum naturale in signum naturale primario, & signum naturale secundario: naturale primario est, quod ex primaria intentione ordinatum est, ut aliquid representet, ut gemitus, qui à natura datus est ad dolorem exprimendum: naturale secundario est, quod ex primaria intentione institutum est ut sit, & consequenter

ter aliquid representat, ut fumus, qui ducit in cognitione ignis, cum tamen ad hoc non sit ex primaria intentione datur à natura, sed ut sit.

30. Signum ad placitum subdividitur primo id divinum, & humanum. Divinum est, quod ex institutione divina representat, ut arcus Cœlestis significat dilubium non esse futurum. Humanum quod ex hominum institutione representat, ut hæc vox homo.

31. Subdividitur secundo in manifestativum tantum, & manifestativum, & suppositivum simul. Manifestativum tantum est, quod ita manifestat obiectum, ut pro illo non possit in propositione substitui. Ut clangor tubæ, ita manifestat prælium, ut non possit loco prælij poni in propositione. Manifestativum, & suppositivum simul est, quod rem ita significat, ut possit pro illa poni in propositione, ut voces, quibus, cum res, teste Philosopho, ad scholas adducere non possimus, utimur pro rebus.

32. Subdividitur tertio in practicum, & speculativum: Practicum est, quod significat, & efficit id ipsum quod representat, ut Sacramenta, quæ causant gratiam, quàm significant. Speculativum, quod solum representat, sed non causat rem significatam.

33. Denique subdividitur in rememorativum, demonstrativum, & pronosticum. Rememorativum, quod significat rem de præterito. Demonstrativum, quod significat rem de præterito. De-

monstrativum, quod significat rem de presenti. Pronosticum, quod significat rem de futuro, ut Sacramentum Baptismi est signum rememorativum, quatenus significat passionem Christi præteritam: demonstrativum, quatenus significat præsentem sanctificationem: pronosticum, quatenus significat finem futurum sanctificationis, scilicet vitam æternam.

## CAPUT II.

### *De Termino, & illius divisionibus.*

34. **T**erminus propriè dictus, est limes; qui dividit agrum ab agro, & per translationem significat extrema, intra quæ tota res est, & extra quæ nihil est rei. Sed quia proprium est extremi, ut in ipsum res desinat; ita quod ultra non possit progredi: id circo terminus apud Dialecticos accipitur pro eo, in quod ultimo totum artificium Dialecticum desinit, seu resolvitur: ac per consequens pro illo simplici elemento, ex quo primo componitur; nam ultimus terminus resolutionis rei, idem est, ac primum principium compositionis eiusdem. Sumitur ergo terminus in præsentem pro simplici dictione, nam hæc est primum elementum artificij Dialectici, & in quo sistit tota eius resolutio: vocibus enim

significativis nihil prius, aut simplicius invenitur præter literas: quæ ad Dialecticæ considerationem non pertinent.

35. Terminus itaque definitur cum SS. M. Soto: *Signum propositionis categoricæ constitutum.* Signum ponitur loco generis, quia in significando convenit terminus cum pluribus, quæ signa sunt, sed non termini, ut cum sonitu cimbali, & gemitu infirmi ultiores particulæ excludunt à ratione termini propositionem, quæ licet interdum componat aliam propositionem, nunquam tamen componit categoricam, sed hypotheticam.

36. Primò dividitur terminus in *vocalem, mentalem, & scriptum.* Vocalis est vox significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio vocalis: vox ponitur loco generis, & est sonus ab ore animalis prolatus cum quadam imaginatione, id est cum apprehensione obiecti: ly significativa excludit à ratione termini voces nihil significantes ut *Blicivri*: ad placitum excludit voces naturaliter significantes, unde gemitus, qui tristitiam, & risus, qui hilaritatem animi naturaliter significant, non sunt termini vocales.

17. Terminus mentalis est conceptus, ex quo simplex conficitur propositio mentalis. Terminus scriptus est *scriptura significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio scripta.* Unde

characteres nihil significantes rationem termini scripti non sortiuntur.

37. Terminus vocalis ( ut omitam mentalem, cuius divisiones eadem sunt cum divisionibus signi formalis ) dividitur in univocum, & æquivocum. Univocus est quia sua significata eodem conceptu representat Ut ly homo. Representare sua significata eodem conceptu est illa significare, ut conveniunt in aliqua ratione ipsius communi; quod contingit quando terminus immediatè significat rationem, in qua significata conveniunt: ut ly homo representat Petrum, Paulum, & Franciscum eodem conceptu, quia representat illos, ut conveniunt in natura humana ipsis communi; & representat illos sic, quia immediatè representat naturam humanam, in qua ipsi sunt unum. Terminus æquivocus est, qui sua significata diversis conceptibus representat, ut ly canis. Representare diversis conceptibus est representare plura, ut plura, seu plura, ut inter se differunt: quod contingit, quando vox non representat immediatè id, in quo significata conveniunt, sed rationes particulares per se quas invicem distinguuntur: ut hæc vox canis, representat canem terrestrem, fidus, & piscem, ut plura sunt, quia non representat rationem corporis, aut substantiæ, in qua conveniunt, sed immediatè significat illa tria secundum

dum rationes eorum particulares, nec aliter; significat canem terrestrem, ac si ad illum dumtaxat significandum fuisset imposita, & sic de reliquis significatis.

36. Subdividitur æquivocus in *equivocum*, à casu, & *equivocum* à consilio. Æquivocus à casu est qui forte, & ex aquo sua significata representat; ut hæc vox *Petrus*, quando imponitur ad significandum plura individua, non propter similitudinem unius cum altero, sed fortuito. Æquivocus à consilio, seu quod idem est, analogus est, qui consilio, & proportionem quadam sua significata representat: ut *ly Nero* significat *Neronem*, & homines crudeles propter similitudinem, & convenientiam eorum cum *Nerone* in crudelitate: & *ianum* significat animal, urinam, & medicinam, propter habitudinem quam *urina* per modum signi, & *medicina* per modum causæ dicunt ad sanitatem animalis.

40. Dnas regulas observare oportet pro analogis. Prima analogum per se sumptum stat pro famosiori significato ut si dicas *homo* nihil addendo, stat pro homine vivo, non pro picto; Secunda, in analogis talia sunt subiecta qualia permittuntur à predicatis: Id est, analogum potest determinari à predicato, ut accipiatur pro significato minus principali, ut in hac propositione *homo est pius*, ratione prædicati deter-

determinatur ly, homo ut stet pro homine picto, & non pro vivo.

## CAPUT III.

## De Alijs divisionibus terminorum.

41. **P**Rætermisso termino æquivoco; qui inutilis est ad finem Dialecticæ, cum arti syllogizandi non deserviat, dividitur univocus in cathegorematicum, & syncathegorematicum, id est in significativum, & consignificativum. Cathegorematicus est terminus significans aliquid per se, ut hæc vox homo: significare aliquid per se est significare aliquid, quod concipitur, ut res quædam independentè ab alio, ita ut in propositione se sola possit subijci, vel prædicari. Syncathegorematicus est, terminus significans aliquantè ut omnis velocitè. Significare aliquantè est significare aliquid, quod seorsim ab alio nequit concipi, sed concipitur, ut modificatio alterius, unde nequit in propositione habere rationem subiecti, vel prædicati, sed tantum determinat subiectum, aut prædicatum. Hinc fit signa universalitatis, & particularitatis ut omnis, nullus, quidam, relativæ, conjunctiones, & præpositiones esse terminos syncathegorematicos: secus verò casus obliquos, ut homini, nam rectus & obli.

obliquus idem significant, subindeque eandem speciem termini participant; de quo infra in quaestione: datur etiam terminus mixtus ex cathegorematico, & syncathegorematico, ut *nemo, nihil*, qui valent idem, ac *nullus homo, nulla res*, quo circa æquivalent duobus, quorum alter est cathegorematicus, alter syncathegorematicus.

42. Dividitur primo terminus cathegorematicus in *communem, & singularem*. Communis est, qui significat *plura divisim*, ut *homo*: significare plura divisim est terminum significare plura, ita ut de singulis seorsim possit affirmari, ut *homo* ita significat *Petrum, & Paulum*, ut de quolibet eorum possit affirmari, dicendo, *Petrus est homo: Paulus est homo*: quare per illam particulam *divisim* excluditur à ratione termini communis, terminus collectibus, ut *populus, gens, Complutum*, quia licet significant plura, non tamen de singulis possunt affirmari, nam *Petrus non est populus, gens, aut Complutum*.

43. Nota tamen, quod ut aliquis sit terminus communis, non requiritur, quod denatur defacto, imò nec de possibili, plura de quibus possit verificari, sed sufficit, quod illi ex modo suæ significationis non repugnet accipi pro pluribus, quod contingit, quoties terminus significat immediatè aliquam na-



furam, non significata expresse illius singularitate; eo enim ipso naturæ, ut significatur per terminum, non repugnat à pluribus participari, ac per consequens, nec termino, attenda ut suæ significationis; repugnat accipi pro pluribus: hinc fit *ly Sol*, & *ly Deus* esse terminos communes, licet defacto non sint plures Soles, & repugnent plures Dij.

44. Terminus singularis est, qui significat unum tantum, ut *Petrus*: significare unum tantum est de vno tantum posse affirmari, & non de pluribus: vnde *Complutum* est terminus singularis, quia de vno tantum populo potest affirmari, & licet significet plures cives, de illis seorsim nequit verificari.

45. Subdividitur terminus communis in transcendentem, & non transcendentem: termini transcendentem sunt, quorum significatio à terminis generis divagatur, & de omnibus aliquid potest. V. gr. *res*, *ens*, *verum*, *bonum*, *aliquid*, &c. Non transcendentem sunt, quorum significatio ad aliquod certum genus determinatur, ut *homo*, *animal*, quæ de omnibus verificari non possunt.

46. Terminus etiam singularis dividitur in singularem determinatum, singularem demonstrativum, & singularem ex suppositione. Determinatus est, qui significat unum tantum distinctè, ut *Petrus*. Demonstrativus est terminus communis affectus pro nomine demonstrativo, ut *hic homo*.

mo. Singularis ex suppositione est, qui facta aliqua suppositione, unum tantum significat, ut *Filius Virginis*, supposito quod solus Christus Dominus natus sit ex Virgine, significat unum tantum, scilicet Iesum Christum. Omittimus singulare vagum, ut *quidam homo*, quia cum possit indifferenter accipi pro pluribus, proprius accedit ad terminum communem.

47. Dividitur secundo categoriamati-  
cus in *collectivum*, & *divisivum*. *Collectivus* est, qui in *singulari numero*, significat *plura copulativa*, id est, significat plura, ita ut possit verificari de illis sumptis non seorsim, sed *collectivè*, & ut *coniunctis* per *particulam*, & v. gr. *Complutum* ita significat plures cives, ut non possit verificari, quod hic civis est Complutum; verificatur tamen, quod hic, & ille, & ille civis Complutum. *Divisivus* est, qui in *singulari numero* significat unum tantum, aut plura *divisim*, ut *Petrus, homo*. Vbi observabis, posse eundem terminum esse *collectivum*, & *divisivum* respectu *diversi significati*, ut *populus* est terminus *divisivus* respectu *huius*, vel *illius populi*, duos significat *divisim*: est autem *collectivus* respectu *civium*, quos significat *copulativè*, & *ly homines* est *divisivus* respectu *cuiusvis hominum multitudinis*, & *collectivus* respectu *singulorum cuiuslibet multitudinis*. Hinc colliges differre inter se

terminum communem, & divisivum, sicut etiam differunt singularis, & collectivus: quia licet omnis terminus communis sit divisivus, non tamen omnis divisivus, est communis: nam *Petrus* est divisivus, & non est communis: similiter licet omnis collectivus sit singularis, non tamen e contra: quia *Petrus* est terminus singularis, & non est collectivus.

## CAPVT IV.

### *De Reliquis termini divisionibus*

48. **D**ividitur tertio categoremas-  
ticus in *absolutum*, & *connotati-  
vum*, absolutus est, qui significat aliquid per  
*modum per se stantis*, ut *homo albedo*. Significa-  
re per modum per se stantis, est significare  
per modum substantiæ, non quia res signifi-  
cata debeat esse substantia, sed quia termi-  
nus significat illam, ac si subiecto nullatenus  
inhæreret.

49. Connotativus est, qui significat ali-  
quid per modum alteri adiacentis, ut *album*. Signi-  
ficare per modum alteri adiacentis; est sig-  
nificare expressè formam, & simul denotare  
sub

subiectum, cui forma inhæret. Non quia forma expresse significata debeat semper realitèr inhætere, sed quia ex modo significandi repræsentatur, ac si subiecto inhæret.

50. Unde colliges, termini connotativi duplex esse significatum: aliud formale, & principale, aliud secundarium, & materiale: formale est forma expresse significata per terminum: materiale verò est subiectum, cui forma denotatur inhærete, vt huius termini *album*, formale significatum est albedo, materiale verò corpus, cui albedo inhæret.

51. Secundò colliges, quod vt terminus sit connotativus, sufficit, quod forma, quam primario significat, significetur per modum adiacentis alteri, licèt in re non sit accidens, sed sit substantia, vel negatio formæ accidentalis; vnde *rationale*, & *cæcum* sunt termini connotativi, licèt rationalitas, quam primario significat *rationale*, sit substantia, & cæcitas, quam primario *cæcum* significat, sit negatio formæ accidentalis, scilicèt visus; significantur tamen, ac si essent aliquid accidentale, & positivum inhærens, & afficiens aliquod subiectum.

52. Colliges tertio, sufficere, & requiri, vt terminus sit connotativus, quod connotet

notet aliquid, vt subiectum, cui forma inhæret. Vnde *ars*, & *Paternitas* non sunt termini connotativi, licet connotent aliquid, quia connotant illud, vt obiectum, & vt terminum. Sunt autem termini connotativi *artifex*, & *Pater*: quia connotant aliud, vt subiectum, cui inhærent *ars*, & *paternitas*. Nec obftet quod *artifex*, & *Pater* adiectiva non sint, quia licet omne adiectivum debeat esse terminus connotativus, non tamen vice versa, omnis connotativus debet esse nomen adiectivum.

53. Denique colliges; terminum connotativum unum significare, & pro alio accipi, vel supponere; significat enim formam, sed supponit pro subiecto habente formam, ut *album* licet significet primario albedinem, non accipitur pro albedine, sed pro subiecto albedinis, quare in hac propositione *album est dulce* extrema non supponunt pro formis, vt sit sensus, *albedo est dulcedo*: sed pro subiectis, vt sit sensus *subiectum albedinis est subiectum dulcedinis*.

54. Quartò; terminus cathegorematicus alius est concretus: alius abstractus. Concretus est, qui significat formam concernendo subiectum habens illam, vt *homo*, *album*, *Deus*: nam *homo* significat habentem humanitatem, *album* habens albedinem, *Deus*, habentem Deitatem,

ac proinde significant sua significata formalia cum respectu, & concernentia saltem ex modo significandi ad subiectum habens illa. *Abstractus est, qui significat formam per modum per se subsistentis, id est, ut ab omni subiecto separatam ut humanitas, albedo, Deitas.* Hinc sequitur, quod omnis terminus connotativus est concretus, sed non è converso, quia *homo* est concretus, non tamen connotativus: rursus omnis terminus abstractus, est absolutus, sed non è contra; quia *homo* est terminus absolutus, non tamen est abstractus, sed concretus.

55. Quintò, dividitur categorematicus in denominativum, & denominantem. Denominativus est connotativus, qui ab alio vocem, & significationem participat; ut *Doctor*, qui à *Doctrina*; & *albus*, qui ab *albedine* vocis, & significationis trahunt originem. Denominans est, terminus, à quo alter vocem, & significationem trahit. Ut *Doctor* à quo *Doctoratus*, *albedo* à qua *albus* quoad significationem, & vocem derivantur.

56. Sextò, dividitur categorematicus in terminum primæ intentionis, & in terminum secundæ intentionis. Terminus primæ intentionis est, qui significat aliquid secundum id, quod habet in re; ut *homo*. Terminus secundæ intentionis est, qui significat aliquid secundum id, quod

quod habet ex consideratione intellectus, ut genus, & species. Nota, intentionem in præſenti nihil aliud eſſe, quàm conceptum; conceptus autem ſunt in duplici differentia: alij repræſentant proprietatem, convenientem rebus independentèr ab operatione intellectus, ut eſſe hominem, vel eſſe album, & hi dicuntur primi conceptus, quia primò concipimus de rebus, quod illis convenit à parte rei: alij repræſentant proprietatem resultantem in rebus ex ſola consideratione intellectus, ut eſſe genus, vel ſpeciem, & hi ſunt ſecundi conceptus, quia ſecundò, & per reflexionem quandam concipimus de rebus ſtatim, quem per considerationem intellectus conſequuntur. Termini ergo exprimentes priores conceptus dicuntur termini primæ intentionis; termini verò, qui poſteriores conceptus expriment, dicuntur termini ſecundæ intentionis. Præterea nota terminos primæ, & ſecundæ intentionis differre ſolùm ex parte rei ſignificatæ, ſed convenire inter ſe in modo ſignificandi connotativè, & abſolutè, communiter, & ſingulariter, & ſimilibus.

57. Septimo dividitur categoriamaticus in finitum, & infinitum. Finitus eſt, qui ex modo ſignificandi ſignificat aliquid determinatè, id eſt, qui ſignificat quid, qualis vè ſit res, vè homo albus. Infinitus, quia ex vi ſue ſignificatio-

*nis nihil determinatè significat. Id est, nihil deter-*  
*minat, sed significat tantum quid res non sit.*  
*Ut non homo, qui significat quidquid non est*  
*homo; ubi nota primo, quod ly non potest su-*  
*mi negantèr, & infinitantèr; negantèr sumitur,*  
*cum removet prædicatum à subiecto, sed sub-*  
*iecti, aut prædicati significatum non destruit.*  
*Sumitur infinitantèr, cum applicatur, non unio-*  
*ni, sed significato termini, & facit illum sig-*  
*nificare, quidquid non est termini significa-*  
*tum, ut non homo significat quidquid non est*  
*homo. Nota secundo, terminum infinitum lon-*  
*ge distare à termino transcendente, quia licèt*  
*iste verificetur indifferentèr de omnibus, ali-*  
*quid certum significat, quia significat, non*  
*tollendo, quod res sit aliquid determinatum,*  
*sed ponendo quid determinatè res sit. Ter-*  
*minus autem infinitus opposito modo se ge-*  
*rit: nam verificatur de pluribus non deter-*  
*minando quid illa sint, sed dicendo, quid*  
*non sint. Ut non homo affirmatur de equo, non*  
*quidem dicendo quid equus sit, sed*  
*præcisè significando, quid*  
*equus non sit.*





## §.

## De termino complexo, &amp; incomplexo.

58. **D**ividitur tandem cathegorematicus in complexum, & incomplexum. Terminus complexus est, cuius partes sunt per se significativæ, idest, complectitur plures dictiones, quarum quælibet independentèr ab alia est significativa. Ut homo iustus. Incomplexus est, cuius partes non sunt significativæ per se, idest, seorsim, & independentèr ab alijs, ut lapis, cuius partes sunt duæ syllabæ nihil per se solas significantes.

59. Ut autem aliqua voces fiat terminus complexi, requiritur primo, quod partes exerceant suam significationem intra complexum, ita ut significatio totius resultet ex significatione partium, & totum nihil aliud significet præter id quod significant partes simul sumptæ, ut homo significat hominem, & iustus habentem iustitiam, homo iustus nihil aliud significet, quam hominem habentem iustitiam: undè Dominus non est terminus complexus, quia significatio totius non resultat ex significatione partium: partes enim scilicèt do, & minus significant dare minus, & totum significat quid longe diversum, nempe habentem

dominium: nec *respublica* est terminum complexus; quia partes scilicet *res*, & *publica* significant publicam rem, totum verò significat congregationem civium.

60. Requiritur *secundò*: quod pluribus conceptibus subordinetur, ac proinde pluralitatem importet ex parte rei significatæ, unde nomina synonyma, ut *Marcus Tullius*, *petra lapis* non sunt termini complexi, cum vnam, & eandem rem significant; nec nomina compositæ figuræ, ut *armiger*, *legifer*, sunt termini complexi, quia licet in voce præferant compositionem, significativè sunt incomplexa; nam vnicus in mente conceptus correspondet illis. Attenditur enim potissimè in complexione, vel in incomplexione vnitas, aut multitudo conceptus; quare si littera A, imponeretur ad significandum idem, quod *homo albus*, esset terminus complexus, quia sub simplici voce laterent plures conceptus.

61. *Tercio* requiritur, quod sint plures didiones ordinatè se habentes, ita ut vna alteram determinet, vel cum illa nexum habeat, ut *pallium Petri*: *homo iustus Petrus*, & *Paulus*, quare *homo lapis*, *sapiens dulcis* sunt plures incomplexi, sed vnum complexum non constituunt; quia cum partes concurrant disparatè, nihil quod vnum sit, potest ex eis resultare.

62. Haecenus de terminis in singulari. Super est ad complementum doctrinae, ut cum Magistro Soto in praesenti lib. 1. cap. 10. agamus de terminis in numero plurali.

63. Terminorum alij dicuntur *impertinentes*, illi scilicet, quorum neuter alterum infert, aut alteri repugnat, ut *Doctus*, *albus*. Alij dicuntur *pertinentes*, nempe quorum alter alterum infert, aut alteri repugnat: & dividuntur isti in *pertinentes sequela*, nempe quorum alter alterum infert, ut *homo risibile*, & in *pertinentes repugnantia*, scilicet quorum alter alteri repugnat, ut *frigidum calidum*. Pertinentes sequela alij sunt, *convertibiles*, qui se mutuo inferunt, ut *homo risibile*, nam ex quo fit homo, sequitur quod sit risibilis, & e converso: alij sunt non convertibiles quorum unus alterum infert, & non e contra, ut *homo animal*. Convertibiles alij sunt *synonimi*, id est, *distinctae voces idem omnino significantes*, ut *ensis gladius*: alij non *synonimi*, id est *distinctae voces non omnino idem significantes*, ut *homo risibile*.

64. Pertinentes repugnantia alij sunt *disparati*, ut *homo, equus*. Alij *oppositi*, qui adhuc in quadruplici sunt differentia iuxta divisionem oppositionis nam alij sunt *contradictorii*, ut *videns, & non videns*: alij *privative oppositi*, ut *videns, & cecus*, alij *contrarii*, ut *album, & nigrum*, alij *relativi*, ut *Pater, & Filius*.

## CAPUT V.

## De Nomine.

65. **I**Nter partes propositionis, quas sub communi ratione termini comprehendimus, principalem locum tenent, nomen, & verbum, ea nimirum ratione, quia propositio, ad cuius constructionem tota terminorum acies collimat, nomen, & verbum de necessitate requirit, & nihil ultra, ut sibi necessarium, desiderat. Quare reliquis propositionis partibus (prætermiſſis alijs) quia non tam partes, quàm colligationes sunt partium; alijs autem, quia sub nomine, & verbo comprehenduntur: descendimus ad nominis, & verbi explicationem, incipientes à nomine, quia in propositione nomen est veluti materia, & verbum forma, & prior est consideratio materiæ, cum materia formæ præsupponatur.

66. *Nomen*, secundum propriam vocis originem, dicitur notamen, & est nota, qua aliquid cognoscitur, seu denotatur: definitur sic: *Vox significativa ad placitum sine tempore, cuius nulla pars est significativa separata, finita, & recta*, tres priores particule in definitione termini fuerunt explicatæ: *ly sine tempore* distinguic

guit nomen à verbo, & denotat nomen debere significare aliquid non per modum motus, sed per modum substantiæ, non ut fluens, & egrediens; sed ut stans. Et pro pleniori prædictæ particulæ intelligentia nota, inter se distinguuntur hæc tria *significare tempus, connotare tempus, & significare cum tempore*. Significare tempus, est ipsum tempus esse rem directè, & expressè significatam per terminum, qua ratione *Dies Mensis Annus*, tempus significant. Connotare tempus, est significare aliquid, quod consuevit fieri tempore determinato. V. gr. *prandium* connotat tempus meridianum, quia significat comestionem, quæ solet fieri meridie. Significare cum tempore, est significare aliquid per modum motus, qui solus tempore mensuratur, vel per modum actionis, & passionis, id est, significare aliquid fieri, & exerceri in aliqua temporis differentia. V. gr. *amo*, significat amorem à me exerceri tempore præfenti, *amabo* amorem à me exercendum tempore futuro: Igitur particula *sine tempore* non denotat nomen non significare, aut non connotare tempus, sed non significare cum tempore.

67. *Separata* excludit à ratione nominis terminum complexum, qui deficit à ratione nominis, quia cum habeat plures partes, quarum quælibet separata significat, non est vnum

nomen, sed plura nomina. *Finita* excludit à ratione nominis terminum infinitum, quia nomen est notamen determinans, atque ab alijs discernens; terminus autem infinitus nihil determinatè significat, sed potius significata sua in determinatione confundit. *Recta*, denotat casus obliquos, per quos nomen declinatur, non esse propriè nomina, vt *hominis*, *homini*: quia nomen est, quod res nominamus, & solo nominativo nominamus. Vnde nominativus dicitur rectus, quia directè, & absolutè rem significat, ita vt in propositione per se possit esse extremum: ceteri verò casus dicuntur obliqui, quia cum ipsis non nominemus, cadunt à ratione nominis, & solum significant rem, vt *id cuius*, *cui*, vel ad quem aliud dicitur habitudinem.

68. Sequitur ex dictis, Aristotelem solum diffinisse nomen vocale, quod consultò fecisse credimus; tum quia est notius, & illo cognitio facile, paucis mutatis, potest hæc diffinitio adaptari nomini scripto, & mentali, in hunc modum, est *signum significans sine tempore, incomplexum finitum, & rectum*, tum quia intendit in hoc opere disputatorem instruere; cumque disputatio vocibus conficiatur, aptè per vocem cuncta Logicalia instrumenta diffinit.

69. Sequitur secundò, nomina compositæ  
fi-

figuræ, ut *armiger*, *proconsul*, esse nomina, quia revera nō habent partes significativas formalitèr, id est, intra ipsum nomen; sed significativas antecedenter, ac præsuppositive, quia licèt illæ partes suam significationem habeant, antequam in vnum nomen conveniant; ac postquam ex illis vnum coaluit nomen, significationes depoluerunt proprias, & vnam simplicem induerunt. Vndè, & vnus illis in mente conceptus correspondet.

7. Sequitur tertio: pronomina, nomina transcendentia, & adiectiva esse verè nomina. Pronomina, quia estō non denotent naturam, denotant personam. Transcendentia, quia licèt rationes communissimas significant, illas tamen determinatè significant; hoc est, ponendo, & denotando aliquid in his, de quibus prædicta nomina verificantur. Adiectiva verò sunt nomina, quia per nullam particulam diffinitionis excluduntur. Nec obest, quod per se non possint subijci, quia cum per se possint prædicari, partes principales sunt propositionis; subindeque consentur nomina.

71. Denique sequitur, participium, terminos æquivocos, & syncategorematicos non esse propriè nomina: participium, quia licèt possit esse subiectum, & prædicatum, quo circa participat aliquam nominis proprietatem,

tem, tamen significat cum tempore. *Amans* quippè non significat amorem, ut per se stantem, sed ut fluentem, & ut in aliqua differentia temporis exercetur. Æquivoci autem excluduntur, tum implicitè per genus proximum, vel eius differentiam subalternam, quia divisum in nomen, & verbum est solus terminus univocus: tum illativè per particulam *separata*, quia licet hæc particula expressè tantum excludat terminum complexum, propter identitatem rationis, vel à fortiori excludit æquivocum. Nam si littera *A*, casu quo significaret idem, quod *homo albus*, excluderetur à ratione nominis, quia sub una voce ratione multiplicis significati esset virtualitèr plura nomina, à fortiori terminus æquivocus, licet sit una vox, quia plura significat, erit virtualitèr plura nomina, subindèque non erit nomen, quia quod unum nomen non est, nec nomen est. Syncategorematici verò excluduntur, tum implicitè per divisum, quia solus categorematicus dividitur in præsentem, tum illativè per particulam *recta*, quæ denotat, nomen debere significare rem absolutè, & per modum *quod*, ita ut possit per se subjici, vel prædicari.

(S)



## CAPUT VI:

## De Verbo.

70. **V**erbum generalitèr pro qualibet voce significativa usurpatur, propriè tamen accipitur pro voce significante actionem, vel passionem, ut in tempore exercetur: quæ ideò per anthonomastiam verbum dicitur, quia per ipsam verum loquimur, & sine ipsa propositio, in qua verum est, non subsistit. Posset à mero grammatico diffiniri *vox coniugata per tempora*. Sed logicè cum Arist. sic debet diffiniri. *Vox significativa ad placitum cum tempore; cuius nulla pars est significativa, finita, & resta, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota.* Particula *cum tempore* indicat, verbum debere significare actionem, vel passionem, ut mensuratum tempore, idest, ut exercetur in aliqua temporis differentia. Undè verbum primariò significat actionem, secundariò compositionem unius cum altero, & indirectè con- significat tempus, in quo actio exercetur.

71. Verùm adverte, non requiri, quod res significata sit verè actio, aut verè mensuretur tempore, sed sufficit, quod ex modo significandi sit actio, & ex modo significandi fiat in tempore, idest, quod à nobis concipiatur, & significetur admodum actionis, quæ in-

tempore exercetur. Vnde licet *sedeo*, & *quiesco* non significant actionem, sunt verba, quia sessionem, & quietem significant ad modum actionis, quæ de præfenti exercetur, & hæc verba *procedo*, *intelligo* dicta de Deo, sunt verò verba, quia licet actus, quos significant, sint æterni, illos tamen significant admodum actionum, quæ tempore nostro mensurantur. Deinde adverte, quod vt aliqua vox sit verbum non sufficit, quod significet actionem, vel passionem, sed requiritur quod significet, illas exerceri in aliqua differentia temporis, vnde *motus*, *amor*, *lectio*, verba non sunt: sunt autem verba *moveo*, *amo*, *lego*.

72. *Separata*, excludit verba complexa, quæ non sunt verbum, sed plura verba, vt *lego audio*. *Finita* excludit verba infinita, quia actionem determinatam non significant, vt *non curro*, ly *non* infinitanter sumpto, qua ratione significat me facere aliquid, quod non est currere. *Recta*, excludit verba obliqua, quæ ideò dicuntur obliqua, quia cadunt à modo proprio verbi: qui est significare actionem, vt fluentem, & egredientem; actio enim præterita, vel futura, quàm verba obliqua significant, non est propriè actio, nec fluit, aut egreditur; quare solùm verbum præfentis temporis modi indicativi propriè est verbum.

73. Sed observa; verbum multifariam variari, nempe per personas, numeros, tempora, modos, participia, infinitiva, &c. Ex quibus, illa dices verba obliqua, quæ cadunt à perfectione, & à proprio modo significandi sui recti, scilicet præsentis indicativi, & quia præsens indicativi tria significat, nempe actionem, tempus, & unionem, & variatio per numeros, & personas servat hæc tria, ut patet in his verbis *legis*, & *legimus*, quæ significant lectionem exerceri in tempore præsentis, & tibi, nobisque convenire, sit consequens prædictam variationem non sufficere, ut prædicta verba sint obliqua: cæterum variatio per tempora in causa est, ut verbum actionem per modum actionis non significet, cum solum actio præsens sit propriæ talis, & idcirco obliquum, vel casum verbi constituit, quia scilicet cadit à proprio modo recti, qui est significare actionem, ut in fieri: similiter variatio per modos, & participia, in causa est, ut verbum non significet unionem: quo circa constituit obliquum, sive casum verbi, quia videlicet cadit à proprio modo recti, seu indicativi, qui est significare unionem. Ex quo colliges, participium, quod unionem non significat, excludi à ratione verbi per hanc particulam *recta*, licet ad illud, sicut alij casus verbi, reducatur.

74. Ultima denique particula eorum, quæ de altero prædicantur nota additur claritatis gratia, vel ad excludendum participium, quod potest poni ex parte utriusque extremi, cum tamen verbum ex parte prædicati semper se teneat: vel ad iudicandum verbum solum se tenere ex parte prædicati, si quando verò ponitur ex parte subiecti, ut verbo infinitivi modi contingit, nunc non genere vim verbi, sed in vi nominis accipi.



## LIBER SECUNDUS.

*De his, quæ pertinent ad secundam operationem intellectus, sive de enuntiatione.*

I. **E**X terminis proximè coalescit propositio, quæ ad secundam operationem intellectus pertinet: acturi ergo iuxta divisionem supra insinuatam in hoc libro de secunda operatione, æquum est, ut post terminorum explicationem, de propositione, & illius affectionibus differamus: & quia oratio genus est ad propositionem, ut exactè propositionis principia perpendamus, prius de oratione, & illius speciebus erit sermo.

## CAPUT PRIMO.

## De Oratione, &amp; illius speciebus.

2. **O** Ratio definitur sic: *Vox significativa ad placitum, cuius partes separate aliquid significant, ut dictio, non ut affirmatio, vel negatio.* Priorae particulae intelligendae sunt eo prorsus modo, quo agendo de termino complexo, fuerunt expositae: ultima denotat orationem, ut oratio est, per se, & necessario non petere, quod illius partes sint propositiones, sed sufficere, quod sint dictiones, quia licet propositio possit esse pars orationis, non est pars orationis, ut oratio est, sed ut hypothetica est.

3. Dividitur oratio in *perfectam, & imperfectam.* Perfecta est, *qua perfectum sensum generat in animo audientis.* Imperfecta, *qua imperfectum sensum generat in animo audientis.* Generare perfectum sensum, non est, quod illi possimus assentiri, vel quod verum significet; sed quod animum audientis suspensum non reddat; è converso, oratio imperfecta generat imperfectum sensum, quia animum audientis suspensum reddit, & expectantem audire aliquid amplius, quo compleatur sensus inchoatus. Undè orationes istae sunt perfectae. De

est summum bonum: veni, sequere me: istæ verò sunt imperfectæ: quid disputat, si legas.

4. Subdividitur oratio perfecta in indicativam, ut Petrus currit: imperativam, ut Petre disputa: optativam v. gr. utinam disputares: interrogativam, ut quis est homo? De præcativum: ut parace mihi Domine. Dividitur præterea oratio, ut abstrahit à perfecta, & imperfecta, in orationem, quæ est *modus sciendi*, ut animal rationale, & orationem, quæ non est *modus sciendi*. De quibus iam subiicimus.

## CAPVT II.

*De modo sciendi, & eius divisionibus.*

5. **M**odus rationem mensuræ importat; mensura autem est id, quo cum certitudine quadam res cognoscitur. V. gr. per vlinam pannum mensurari est, cum quadam certitudine quantum sit pannus, cognoscere. Unde *modus sciendi* nihil est aliud, quam mensura, sive regula, qua cum certitudine quadam ignorantia fugatur, & scientia veritatis obtinetur.

6. Sic communiter diffinitur: *Oratio alicuius ignoti manifestativa*. Oratio ponitur loco generis oratio, in quam, ut sic, nam *modus sciendi* non est determinatè oratio perfecta, nec imperfecta; cum aliqua species modi scien-

sciendi, ut definitio, oratio sit imperfecta, & aliqua, ut argumentatio, oratio perfecta sit. *Alicuius ignoti manifestativa* vices gerit differentia, & indicat, modum sciendi per se, & ex vi proprii artificij esse manifestativum; cæterum manifestare stat dupliciter. *Primo*, ut est idem, ac significare. *Secundo*, prout est idem, ac explicare significare est, ducere ut cumque in alterius cognitionem: explicare verò est, rem confuse significatam per unum terminum, per alios clarius exprimere; unde quælibet oratio, si vè perfecta, si vè imperfecta, est alicuius ignoti manifestativa, ignotum, significando, non tamen ignotum explicando.

7. Dictis colliges primo: interpretationem unius vocis per alteram non esse modum sciendi, ut si *Sophiam* vertas *scientiam*, quia *scientia* non est oratio, sed terminus incomplexus. Colliges secundo, hanc, propositionem *homo est animal rationale*, non esse definitionem, quia non manifestat ignotum per se, & ex vi proprii artificij, sed per accidens, & ratione prædicati, quod est quædam definitio: propositio enim secundum se inspecta, potest esse falsa, & alicuius manifesti erroris nebula confusiva.

8. Colliges tertio, hanc propositionem, *homo est animal*, non esse simpliciter modum sciendi, adhuc per accidens, & ratione prædicati.

quia prædicatum non manifestat simpliciter in suo genere, scilicet essentiali, naturam hominis: sed cum prædicatum sit pars definitionis, ac proinde ex parte naturam hominis manifestat, potest ratione prædicati dici præfata propositio secundum quid modus sciendi. Quæ doctrina locum habet in qualibet propositione necessaria, quia in qualibet prædicatum est definitio, vel pars definitionis essentialis, aut descriptivæ.

9. Tandem colliges, non esse modum sciendi hanc orationem: *Pontifex obiit*, quia licet aliquid ignotum significet, narret, & enuntiet, illud tamen non explicat: tum quis rem confuse significatam per unum terminum, terminis clarioribus non exponit: tum quia explicare est, quod intus in obiecto latebat, videndum exponere, interiora rei evolueri, ex obiecti: & visceribus extrahere, quorum nihil illa propositio præstat: enunciat enim accidens commune, quod nec actu, nec virtualiter in subiecto continebatur, nec ad eius interiora, seu viscera pertinebat, cum accidens commune à natura subiecti sit extraneum. Unde rectè à nostris dici solet, præfata propositionem non esse modum sciendi, quia cum sit propositio contingens, ad scientiam non conducit, eo quod scientia solum est de necessarijs.



10. Dividitur modus sciendi, in diffinitionem, divisionem, & argumentationem. Cuius divisionis sufficientia sic constat. Ignotum, quod per modum sciendi potest manifestari: vel est incomplexum, ut homo, vel est complexum, ut hæc propositio homo est risibilis. Si incomplexum; solum potest ignorari de eo, quid sit, vel quotuplex sit, quorum primum innotescit diffinitione, quæ explicat naturam rei; secundum divisione, quæ rem per partes distribuit. Si complexum, de ea tantum potest ignorari, num verum sit, quod argumentatione aperitur: ergo solum dantur tres species modi sciendi, scilicet diffinitio, divisio, & argumentatio: & confirmatur: Modus sciendi est artificium, quo ut clavi aperitur quod ignotum latebat in obiecto; sed quidquid latet & ignoratur circa obiectum, vel essentia, vel partes, vel proprietates illius, quorum primum explicat diffinitio, secundum divisio, tertium argumentatio. Ergo modus sciendi adæquatè dividitur in hæc tria.

### CAPUT III.

#### De Diffinitione, & definito.

11. **D**iffinitio, quæ, à Philosopho terminus dicitur, rei diffinitivæ essentiam

tiam intra se, velut limite quodam circumscribitur: Est oratio explicans essentiam rei. Oratio est genus in quo definitio convenit cum divisione, & argumentatione. Explicans naturam rei, ponitur loco differentia: per quam secernitur ab alijs, & à definitione nominis, quæ simpliciter non est definitio, quia non explicat essentiam rei, sed æthimologiam, & originem significationis, vt cū dicis. *Philosophia est amor scientiæ*, *album est nomen significans habens albedinem*: in quibus propositionibus, cum accidentales sint, nulla ex parte prædicari importatur definitio; definitio enim propriè talis essentialiter de definito prædicatur. Non tamè excluditur per hanc particulam definitio descriptiva, de qua statim; quia reverà explicat essentiam rei, licèt illam non per partes essentielles, sed per accidentia describat.

12. Definitio est triplex: *essentialis, descriptiva, & causalis*: essentialis, quæ datur per partes essentielles. Et ex duplex, *Metaphysica*, quæ datur per propriam genus, & per propriam differentiam, vt cum definitur *homo animal rationale*; & *physica*, quæ datur per materiam, & formam, vt cū definitur *homo, compositum ex corpore, & anima rationali*. Definitio descriptiva est: oratio explicans naturam rei per eius accidentia propria, vt *homo est animal risibile, politicum, vel disciplinabile*, quæ verò datur per accidentia communia non nisi

nisi abusive dicatur diffinitio, cum rem distinctè, & secundum sibi propria non explicet. Diffinitio causalis est, quæ datur per causas extrinsecas, scilicet efficientem, & finalem, ut homo est, qui generatur ab homine. Cymba est vas ad trajiciendum flumen fabricatum.

13. Subdividitur secundè diffinitio essentialis in quidditativam simpliciter, in qua scilicet nihil ponitur, quod sit extra essentiam diffiniti, ut cum diffinitur homo per animal rationale: & quidditativam per additamentum, in qua explicatur diffinitum per aliquid extra essentiam eius. Qui modus proprius est accidentibus, quæ diffiniuntur per ordinem ad subiectum, ut cum diffinitur album, corpus disgregativum visus.

14. Subdividitur tertio in definitionem adæquatam, & inadæquatam; adæquata est, quæ complectitur, & exprimit esse rei totum, secundum quod ex omnibus suis constituitur: sic dicitur quod unius rei non potest dari nisi unica diffinitio: inadæquata est, quæ notificat esse rei, non secundum omnes causas, sed secundum unam, vel alteram: & sic unius rei possunt esse plures definitiones. V. gr. ira per causam materiale diffinitur, ascensio sanguinis circa cor ex evaporatione fellis. Et per causam formalem, appetitus in vindictam.

15. Leges, sive conditiones bonæ diffini-

tionis sunt tres. Prima, quod constet ex genere, & differentia: *genus* (pro nunc) est ratio communis, in qua diffinitum convenit cum alijs à se distinctis: differentia est ratio, per quam diffinitum secernitur ab alijs sub eodem genere contentis. Vt in hac diffinitione *animal rationale*, *animal* est genus, in quo homo convenit cum brutis: & *ly rationale* est differentia, per quam differt ab eis: debet autem diffinitio constare genere, & differentia, quia debet explicare essentiam diffiniti, & hæc continet quædam prædicata diffinito, & alijs communia; quædam verò propria.

16. Secunda conditio, quod sit clarius suo diffinito; quia diffinitio manifestat diffinitum: hinc fit diffinitum non debere definitionem ingredi, quare hæc est mala diffinitio: *homo est animal rationale, quod est homo*. Nec debent poni in diffinitione nomina æquivoca; ne multiplex eorum significatum pariat confussionem, nec nomina translative dicta: vnde malè diffinites terram dicendo, *est nutritrix omnium*, vel hominem, dicendo: *est mundus minor*: quia sub his, & alijs figuratis locutionibus potius obumbratur, quam detegitur natura rei.

17. Tertia conditio, quod diffinitio non sit redundans, nec diminuta, quia cum sit terminus diffiniti, nec illud potest excedere, nec ab illo debet excedi. Vnde hæc diffinitio, *ho-*

*homo est animal rationale mortale* redundat, quia sine *ly mortale* hominis essentia sufficiēter exprimitur: ista verò definitio, *homo est animal gressibile*, est diminuta, quia deest illi aliquid necessarium, ad explicandum naturam definiti: hinc sequitur, definitionem, & definitum dici ad convertentiam, ita ut sit mutua consequentia à definitione ad definitum, & è converso. Ut si dicas *est homo: ergo animal rationale; est animal rationale: ergo est homo.*

18. *Diffinitum*, quod correlativum est definitionis: est id, cuius essentia per definitionem exponitur: & est duplex *proximum*, & *remotum*. *Proximum* est; quod primò, per se, & *immediate diffinitur*. *Remotum*, quod *mediate*, & *ratione alterius diffinitur*. Ut cum homo definitur, definitum proximum est homo, ut sic: remotum est Petrus, & Paulus.

29. Ut aliquid possit esse definitum, tres requiruntur conditiones. Prima: quod sit unum per se; nam ens per accidens constat pluribus essentijs completis, quæ unica definitione non possunt diffiniri.

20. Secunda conditio. Res, ut diffiniri possit, debet esse universalis, quia res in singulari sunt variables, contingentes, & incertæ, definitiones autem cum sint principia, ex quibus scientiæ procedunt, debent esse certæ necessariæ, & infallibiles; yndè singularia non

possunt diffiniri: potest tamen diffiniri singularitas, vel singulari in communi: quia prout sic habet statum, & modum universalis, quod sufficit, ut contingens non sit, neque variabile.

Tertia conditio. Res, ut diffiniri possit; debet constare ex genere, & differentia; unde nec Deus, nec supremum genus cuiusvis prædicamenti, nec entitates incompletæ, nec negationes, possunt rigurosa diffinitione diffiniri, quia genere, & differentia non constant; licet possint explicari per rationes sibi, & alijs analogicè communes, per modos, sive rationes proprias gerentes vicem differentia.

¶ Denique adverte, diversas interrogationes diversas diffinitiones quærere: nam interrogatio *quid sit*, quærit diffinitionem quid sitativam; *qualis sit*, descriptivam: *à quo, vel propter quid sit*, causalem. Unde petenti, quid sit homo? Dices: *animal rationale*; quærenti qualis sit? Respondebis: *animal politicum, & sociabile*: interroganti à quo sit, & propter quid? Dices: *est à Deo propter beatitudinem*: de ipsa verò definitione non quæritur, an sit vera, vel falsa, quia definitio, cum sit oratio imperfecta pertinens ad primam operationem, nec est vera, nec falsa. Quæritur autem de illa, an sit bona, vel mala, quia est bona, si regulis supra dictis conformis evadit: mala verò, si adversatur illis.

## CAPUT IV,

## De Divisione.

21. **O**missa divisione nominis, quæ terminum in varias significaciones distribuit, quia non est simpliciter divisio, vel inter divisiones per accidens est collocanda: *divisio communiter definitur, oratio totum in suas partes distribuens: id est, distribuendo manifestans.*

22. Divisio alia est, *per se; alia per accidens; Divisio per se est qua totum distribuitur in partes, quæ per se continentur in, vel sub diviso. Vt animalium, aliud rationale, aliud irrationale. Divisio per accidens, sive accidentalis est, qua totum distribuitur in partes quæ accidentaliter conveniunt diviso. Et hæc est triplex, scilicet subiecti in accidentia, vt animalium, aliud album, aliud nigrum: accidentis in subiecta, vt alborum aliud lac, aliud nix; vel accidentis in accidentia: vt alborum aliud dulce, aliud amarum. Divisiones istæ impropiè sunt tales: quia nulla res potest propriè dividi in partes, quæ ipsi per se non competunt.*

23. Divisio per se alia est *integralis, alia est potestativa, alia essentialis, sicut triplex est totum: integrale, potestativum, & essentialis: integralis est,*  
*quæ*

*quæ totum integrale in suas partes distribuit; ut ho-*  
*minis alia pars manus, alia caput. Potestativa*  
*quæ virtutem causæ per suas potentias manifestat,*  
*ut hominis aliæ potentiæ sensitivæ, aliæ ra-*  
*tionales. Essentialis quæ rem per partes essentia-*  
*les distribuit, & est duplex; alia physica, quæ da-*  
*tur per partes physicas, scilicet materiam, & for-*  
*mam, ut hominis alia pars corpus, alia pars*  
*anima: alia metaphysica, quæ datur per partes*  
*metaphysicas, & est duplex; scilicet actualis, quæ*  
*datur per partes metaphysicas actu constituentes, ut*  
*hominis aliud prædicatum animal, aliud ratio-*  
*nale; & potentialis, quæ datur per partes subiec-*  
*tivas, & ipso toto inferiores, & hæc alia est*  
*univoca, in qua membra dividenda æqualitèr*  
*participant divisum, ut cum dividitur homo*  
*in Petrum, & Paulum, qui æqualitèr partici-*  
*pant rationem hominis: alia analogæ, in qua*  
*inferiora inæqualitèr participant rationem*  
*divisi, ut divisio entis in substantiam, & acci-*  
*dens. Univoca tandem, alia est generis in spe-*  
*cies, qualitèr dividitur animal in hominem, &*  
*equum: alia generis in differentias, ut divisio*  
*animalis in rationale, & irrationale: alia spe-*  
*ciei in individua, ut divisio hominis in Petrum,*  
*& Paulum.*

24. Tres conditiones assignantur pro bo-  
 na divisione. *Prima*, quod singula membra  
 dividenda sint inferiora diviso, idest, quod-



libet illorum ad minus se extendat, quam divisum, ut rationale ad minus se extendit, quam animal: unde hæc est mala divisio: *animal, aliud sensibile, aliud rationale*; quia sensibile non est inferius animali. Secunda: quod membra dividenda simul sumpta adæquent divisum, idest quod nihil contineatur sub diviso, quod non contineatur sub aliquo ex membris dividendis. Tertia, quod membra dividenda sint distincta realiter, vel secundum rationes formales. Unde *bonum* recte dividitur in *honestum, utile, & delectabile*; quin hæc membra sint semper realiter distincta: malè vero divideretur animal in hominem, & rationale, quia animal, & rationale non se excludunt à suis rationibus formalibus, nam homo formaliter est animal. Ratio huiusmodi conditionum ea est, quia membra dividenda comparantur ad divisum, ut partes ad totum; sed qualibet pars est minor toto, & totum non excedit partes simul sumptas, & partes inter se debent aliquomodo distingui: ergo singula membra dividenda debent esse minora diviso, & divisum non debet extendi ultra omnia membra simul sumpta, & membra inter se debent distingui.

24. Ex his conditionibus inducuntur quinque loci arguendi in divisione. Primus à diviso ad membra dividenda simul sumpt-

supra, & è converso valet consequentia af-  
 firmativè, & negativè, vt est animal: ergo ra-  
 tionale, vel irrationale: est rationale vel irrationale:  
 Ergo est animal. Non est animal. ergo nec rationale  
 nec irrationale. Non est rationale, nec irrationale,  
 ergo non est animal. Secundus locus: A diviso  
 cum negatione unius membri, si sit divisio bitem-  
 bris, vel plurium, si sic multiplex, ad positionem  
 illius, quod restat, est bona consequentia: vt est ani-  
 mal, & non est rationale: ergo est irrationale.  
 Tertius locus arguendi est: Quando membra  
 sunt realitèr opposita, positione unius membri ad  
 negationem alterius, tenet consequentia, vt est ra-  
 tionale: ergo non est irrationale.

26. Quartus: A diviso ad aliquod determina-  
 tè membrorum dividendum affirmativè, non valet,  
 valet tamen negativè, vt non valet: est animal er-  
 go rationale. Et ratio est, quia in primò casu  
 arguitur à superiori ad inferius affirmativè,  
 quæ est mala consequentia: in secundò verò;  
 à superiori ad inferius negativè, quæ bona cõ-  
 sequentia est. Quintus locus: A quolibet deter-  
 minatè membrorum ad divisum, affirmativè tenet  
 consequentia; sed negativè non tenet, vt benè sequi-  
 tur est rationale: ergo est animal; sed non sequitur  
 non est rationale: ergo non est animal, & ratio  
 est, quia in primo casu arguitur ab inferiori  
 ad superius affirmativè, quæ est bona conse-  
 quen-

quentia, in secundo verò, ab inferiori ad superius negativè, quæ est mala.

CAPUT V.

*De Argumentatione.*

27. **A**rgumentatio, quæ est tertia species modi sciendi, directè spectat ad tertiam operationem. Sed pro complemento doctrinæ pauca de illa prælibabimus. Diffinitur: *Oratio in qua uno dato, aliud sequitur.* Ponitur loco generis *oratio*; & non *propositio*, quia propria passio generis debet prædicari de specie; veritas, autem, & falsitas, quæ sunt propria passio propositionis, non prædicantur de argumentatione, quia argumentatio, sicut & consequentia, non dicitur vera, vel falsa; sed bona, vel mala. Ponitur autem loco differentiæ, *in qua, uno dato aliud sequitur*, id est concess. antec. infertur consequens. Hinc sequitur, argumentationem constare ex antecedenti, consequenti, & nota illationis: *Antecedens* est illa oratio, ex qua aliquid sequitur, quæ quia præmittitur illationi, etiam dicitur *præmissa*: *consequens* est oratio, quæ infertur ex antecedenti, quæ dicitur etiam *conclusio*; quia in illa terminatur argumentatio. *Nota illationis* est nexus, seu *copula* antecedentis;

cum consequenti, denotans illationem unius ex alio, ut in hac argumentatione: *Petrus currit: ergo movetur*, ly *Petrus currit* est antecedens: ly *movetur*, est consequens, & ly *ergo*, est nota illationis.

28. Dividitur argumentatio, ratione formæ discursus, ratione notæ illationis, & ratione qualitatis. Ratione formæ discursus, in syllogismum, enthymema, inductionem, & exemplum. Syllogismus constat tribus propositionibus, quarum prima vocatur maior, secunda minor, tertia conclusio. V. gr. *omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Enthymema, est argumentatio constans ex duplici propositione, quarum prima dicitur antecedens, secunda consequens. Ut *Petrus currit: ergo movetur*; reducitur ad syllogismum, sicut imperfectum ad perfectum, unde dicitur syllogismus truncatus, seu imperfectus: inductionis est argumentum à singularibus, quæ experimur sensibus, ad probandam aliquam propositionem universalem. Ut si dicas: *iste ignis calefacit, & iste, & ille: ergo omnis ignis calefacit.* Exemplum est argumentum, quod ex uno singulari infert aliud simile. Ut *Deus pepercit latroni pœnitenti: ergo parceret tibi, si pœnitentiam egeris.*

29. Ex parte notæ illationis, dividitur argumentatio in conditionalem rationalem & causalem. Conditionalis est: in qua illatio denotatur per ly *si*, ut *si est homo, est risibilis.* Rationalis; in  
 qua

qua illatio denotatur per ly ergo. Ut est homo; ergo est risibilis. Causalis, in qua illatio denotatur per ly quia. Ut quia homo est rationalis, est risibilis.

30. Ex parte qualitatis argumentatio dividitur in bonam, & malam: bona est, in qua consequens benè sequitur ex antecedenti, mala, in qua non infertur ex illo. Nota; argumentum, & consequentiam non semel accipiunt pro eodem, sed frequentius distingui solent, ut includens, & inclusum, ita ut argumentum significet totum compositum ex antecedenti, consequenti, & nota illationis; consequentia verò solam illationem significet.

## CAPUT VI.

### De Propositione.

31. **P**Rincipale institutum huius libri, est declarare naturam, partes, & proprietates propositionis: quia propositio instrumentum rationis est, principaliter deserviens syllogismo. Differunt enuntiatio, & propositio in modo significandi: quia enuntiatio est oratio nuncians, sive referens, rem esse, aut non esse; propositio verò supra enuntiationem addit, quod sit proposita in syllogismo ad aliquid inferendum. Unde esse propositionem, solum convenit præmissis; esse verò

enuntiationem indifferenter convenit præmissis, & conclusioni: cæterū iam usus obtrahit, ut pro eodem accipiatur propositio, & enuntiatio, undè, & nos propositionis, & enuntiationis nomine indiscriminatim utemur.

32. Propositio diffinitur ab Aristotele: *Oratio, in qua verum, vel falsum est.* Oratio ponitur loco generis, in quo propositio convenit cum imperfectis, & cum pluribus perfectis, quæ propositiones non sunt, ut cum optativa, & imperativa, *in qua verum, vel falsum est*, ponitur loco differentia, per quam distinguitur ab alijs orationibus etiam perfectis, quæ verum, vel falsum non significant. Pro intelligentia huius particulae adverte primò: quod verum, vel falsum reperitur in propositione scripta, & vocali extrinsecè: & ut in signo intellectus veri, vel falsi; in propositione mentali, ut in subiecto, quod formalitèr est verum, & falsū, in propositione verò obiectiva, id est, in re significata, tanquam *in causa*: nam ab eo, quod res est, vel non est; propositio vera, vel falsa est. Verum ergo, vel falsum, quod per propositionem significatur, est verum, vel falsum obiectivè.

33. Adverte secundò: significare verum, nihil aliud esse, quam significare rem esse, quod est, vel non esse, quod non est: significare falsum nihil aliud esse, quam significare rem esse

*esse, quod non est, vel non esse, quod est.* V. gr. hæc propositio: *homo est animal* significat verum, quia significat hominem esse animal, & homo revera est animal; & hæc: *homo non est lapis* significat verum, quia significat hominem non esse lapidem, & revera non est lapis: ista verò propositio: *homo est lapis* significat falsum: quia significat hominem esse lapidem, & homo lapis non est; ista quoque *homo non est animal* significat falsum, quia significat hominem non esse animal, & homo animal est.

35. Tertio adverte, verum, & falsum posse significari *signatè*, & *exercitè*, signatè; quando termini ex vi suæ impositionis primariò, & expresse significant veritatem, vel falsitatem, qualiter illam significant voces istæ, *verum*, vel *falsum*: exercitè significare verum, vel falsum, est significare res, ut sunt in se, vel aliter, ac sunt in se; nam ex huiusmodi significatione resultat in exercitio conformitas, vel defectus conformitatis inter propositionem, & obiectum, in quo veritas, vel falsitas consistit.

36. Denique adverte, prædictam definitionem esse descriptivam, quia traditur per significare verum, vel falsum, quæ est proprietas propositionis: posset tamen diffiniri propositio quidditative in hunc modum. *Propositio est oratio perfecta enuntiativa unius de aliis*

37. Dividitur propositio ratione substantiæ, qualitatis, quantitatis, & materiæ: de quibus per nonnulla capita differemus.

## CAPVT VII.

*De Divisione propositionis in categoricam,  
& hypoteticam.*

38. **R**atione substantiæ dividitur propositio in categoricam, hypoteticam, sive in simplicem, & coniunctam. Categorica est, quæ constat ex subiecto, copula, & prædicato, tanquam partibus principalibus sui. Ut homo est iustus. Subiectum est, de quo aliquid dicitur: prædicatum, quod dicitur de aliquo. Copula, quæ coniungit prædicatum cum subiecto, ut in præfacta propositione, homo est subiectum, iustus prædicatum, & copula ly est: subiectum aliud est attributionis, aliud solius distributionis: subiectum attributionis est de quo dicitur prædicatum: subiectum solius distributionis est, supra quod non cadit attributio, cadit tamen immediatè distributio. V. gr. in hac propositione. Cuiuslibet hominis equus currit: subiectum attributionis est, equus, subiectum verò distributionis est ly hominis.

39. Copula similiter est duplex: alia principalis, quæ scilicet, vnit præcipuum prædicatum pro-



positionis cum subiecto, alia *minus principa-*  
*lis*, sive *implicationis*, quæ se tenet ex parte ali-  
 cuius extremi, ut in hac propositione: *homo qui*  
*currit, disputat* ly *disputat*, est copula principa-  
 lis, & ly *currit* est copula implicationis, & in  
 hac: *Petrus est homo, qui disputat*, ly *disputat* est  
 copula implicationis; est autem copula prin-  
 cipalis verbum *est*. Rursus copula principalis  
 est duplex, *simplex, & composita*. Simplex; ut in  
 hac enunciatione: *Petrus est albus*; composita;  
 ut ista, *Petrus est, & fuit albus*. Illa particula,  
*tanquam ex partibus principalibus*: distinguit ca-  
 thegoricam ab hypotetica, cuius partes pro-  
 ximæ, & principales non sunt subiectum, co-  
 pula, & prædicatum; sed sunt propositiones  
 simplices, vel aliquid huiusmodi.

40. Propositio categorica alia est de *se-*  
*cundo adiacente*: alia de *tertio adiacente*: de *secun-*  
*do adiacente*, est illa, in qua; copula habet simul  
 rationem prædicati, ut in hac: *Petrus disputat*,  
 quæ æquivalet isti: *Petrus est disputans*: de *tertio*  
*adiacente*, in qua prædicatum expressè distin-  
 guitur à copula, ut hæc: *Petrus est doctus*: Di-  
 viditur præterea in *modalem*, & de *in esse*, de  
 quibus opportunius infra.

41. Propositio hypotetica est, & dicitur  
 composita, quia partes illius non sunt simpli-  
 ces, sicut partes categoricæ, sed sunt com-  
 positæ, & diffinitur, quæ *habet duas categoricas*

coniunctas tanquam partes principales sui: ut Petrus disputat, & ille loquitur. Dicitur à cathégorica, quia cathégorica immediate, & principaliter ex terminis, hypothetica verò principaliter, & immediate ex propositionibus, ex terminis verò remotè constat; non tamen requiritur, quod partes hypotheticæ sint propriè propositiones; sed sufficit, quod sint propositiones reductivè, idest, talia complexa, ut per copulam verbalem uniri nequeat. Nec requiritur, quod sint duæ, sed quod ad minus sint duæ: debent tamen esse coniunctæ mediâ copula adverbiali. Vndè hæ duæ Petrus disputat, Paulus loquitur, non sunt hypotheticæ, quia partes non sunt unitæ.

## CAPUT VIII.

*De alijs divisionibus propositionibus in  
communi.*

42. **R**atione qualitatis dividitur propositio in affirmativam, & negativam: Affirmativa est: in qua prædicatum affirmatur de subiecto, idest, unitur subiecto mediâ copula nulla negatione affecta, ut Petrus est alius. Negativa: in qua prædicatum negatur de subiecto. Idest prædicatur de subiecto mediâ copula aliqua negatione affecta, ut homo non est

*est lapis.* Affirmatio dicitur compositio, negatio vero divisio: ut propositio sit negativa, requiritur, quod negationi afficienti copulam non præponatur altera negatio, quia cum negatio sit malignantis nature, que quicquid post se invenit, destruit, & eius oppositum reddit, negatio præposita negationi reddet propositionem affirmativam.

43. Secundò requiritur, quod copula affecta negatione sit copula principalis, & non sufficit, quod negetur copula implicationis. Undè hæc propositio est affirmativa. *Petrus qui non existit, disputat.* Tertiò requiritur, & sufficit, quod negatio copulam præcedat formalitèr, vel virtualitèr. Undè hæc propositio. *Petrus lapis nõ est,* est negativa, quia negatio formalitèr copulam præcedit: & ista *esse miser vult nullus* est negativa, quia negatio virtualitèr præcedit; nam æquivalet isti, *nullus vult esse miser: iste verò, nescio litteras, nolo peccatum, nego antecedens,* sunt affirmativæ, quia negatio virtualitèr copulam subsequitur, quia non æquivalent illis, *non sum sciens, volens, affirmans; sed illis, sum nesciens, sum non volens, sum negans.*

44. Tandem, ut propositio constans copula composita partim affirmata partim negata, sit negativa, requiritur quod sit disiunctiva. Undè hæc propositio *Petrus est, vel non*

*fuit albus* est negativa; sed *ista: Petrus est, & non fuit albus*, est affirmativa: ratio est; nam propositio affirmativa, & negativa inter alia, distinguuntur in eo, quod affirmativa ad sui veritatem petit, quod extrema supponat, negativa verò id non petit; sed prædicta copulativa petit ad sui veritatem, quod extrema supponant, & id non petit disiunctiva: ergo copulativa est affirmativa, & disiunctiva est negativa. Prob. min. ut sit vera copulativa requiritur, quod sit vera utraque pars, ac proinde, quod sit vera affirmativa, ex qua componitur; & ut sit vera disiunctiva sufficit, quod sit vera altera pars, ac proinde sufficit, quod sit vera negativa, ex qua componitur; sed ut sit vera affirmativa, requiritur, quod supponant extrema, & id non requiritur, ut sit vera negativa: ergo copulativa petit ad sui veritatem, quod extrema supponant, & id non petit disiunctiva: ex prædictis tamen propositionibus, una est affirmativa virtualiter, altera virtualiter negativa; sed formaliter utraque est mixtæ qualitatis.

45. Dividitur etiam propositio ratione quantitatis; in *universalem, particularem, indefinitam, & singularem*. Universalis est: cuius subiectum est terminus communis signo universali affectus, ut *omnis homo disputat* particularis, cuius subiectum est terminus communis signo particulari effec-

*affectus*, ut, aliquis homo disputat: indefinita, cuius subiectum est terminus communis nullo signo affectus, ut homo disputat. Singularis, cuius subiectum est terminus singularis, ut Petrus disputat. Hæc divisio est accidentalis, quia traditur penes quantitatem, quæ est accidens propositionis. Pro cuius divisionis intelligētia, advertē primo quod quantitas propositionis est extensio subiecti, ut pro pluribus, vel paucioribus accipiat. Unde, ut cognoscatur, quanta sit propositio, non debet attendi prædicatum, sed subiectum: qua de causa hæc propositio: *omnis homo est aliquod animal*: est universalis.

46. Secundò advertē: signum quantificans propositionem aliud esse *universale*, quod facit, terminam accipi pro omnibus suis significatis, ut *omnis*, *nullus*: aliud *particulare*, quod facit terminum accipi *divisive* pro aliquo ex suis significatis, ut *aliquis*, *quidam*. Tertiò advertē: propositionem indefinitam in materia necessaria equivalere *universali*, in materia *verò contingenti* non *æquivalere universali*.

47. Dividitur ulterius propositio ratione materiae in *necessariam*, *impossibilem*, & *contingentem*. Materia propositionis est habitudo prædicati ad subiectum, & est triplex, *naturalis*, quando prædicatum est de essentia subiecti, vel proprium eius, ut *homo est animal*, *homo est risibilis*. *Repugnans*, quando prædicatum re-

pugnat subiecto, ut homo est lapis. Contingens, quando prædicatum potest adesse, & abesse subiecto præter subiecti corruptionem, ut homo est albus. Unde propositio necessaria est, quæ semper, & necessario est vera. Contingens, quæ potest esse vera, & potest esse falsa; impossibilis, quæ nunquam potest esse vera. Notandum est, quod omnis propositio affirmativa in materia naturali est necessaria, & negativa impossibilis: omnis verò affirmativa in materia repugnanti est impossibilis, & omnis negativa necessaria.

48. Tandem ratione materiæ, seu habitudinis prædicati ad subiectum dividitur propositio in *identicam*, in qua idem de se ipso prædicatur, ut homo est homo, ens est gladius: & *formalem*, in qua prædicatum aliquomodo distinguitur à subiecto, ut homo est animal. Formalis alia est *directa*: in qua forma prædicatur de subiecto, vel superius de inferiori, ut homo est albus, homo est animal; alia *indirecta*, in qua prædicatur subiectum de forma, vel inferiorius de superiori, ut album est homo, animal est homo.



## CAPUT IX.

## De Suppositione.

49. **E**Xplicata iam natura, & divisionibus propositionis in generali, priusquam descendamus ad examinandum illius species in particulari, oportet considerare proprietates, quæ propositionem in communi consequuntur, & sunt in duplici differentia: aliæ consequuntur terminos intra propositionem, ut suppositio, ampliatio, restrictio, appellatio, & alienatio. Aliæ verò consequuntur totam propositionem, ut oppositio, conversio, & æquippollentia.

50. Suppositio est: *acceptio termini pro aliquo de quo verificatur*: acceptio ponitur loco generis, in quo convenit cum significatione, & est duplex, activa, scilicet actus, quo intellectus terminum accipit pro aliquo, & passiva, scilicet, qua terminus dicitur acceptus. *Pro aliquo*, id est, pro se, vel pro re significata: *de quo verificatur*, id est, de quo terminus verè affirmatur: unde ponitur hæc particula loco differentia, & per eam differt suppositio à significatione, quæ termini verificationem non requirit.

51. Pro cuius intelligentia observandum est, aliud esse verificari propositionem, & aliud verificari terminum: verificari propositionem, est illam esse suo obiecto conformem;

mem, verificari terminum est, rem significatam existere tempore significato per copulã; ita, vt demonstrata ad sensum, vel intellectum re significata, verè affirmetur terminus de illa ut in hac propositione: *Petrus est albus*. Ly. *Petrus* verificatur verificatione termini: quia in tempore præsentis, quod copula consignificat, existit *Petrus*, ita vt demonstrato Petro ad sensum, verè affirmemur terminus de illo, dicendo, *hoc est; Petrus* & in hac *Anti Christus peccabit*, verificatur ly *Anti Christus*, quia existet iuxta exigentiam verbi; siquidem in tempore futuro, quod verbum significat, existet *Anti Christus*, ita vt de illo demonstrato ad intellectum, verè affirmetur terminus, dicendo: *hoc erit Anti Christus*.

52. Ex quo deduces primò, posse propositionem esse veram, quin terminus verificetur, vt contingit in ista: *Anti Christus non disputat*. Undè negativa ad sui veritatem suppositionem extremorum non petit; & è converso, posse terminum verificari, quin propositio sit vera, vt in ista: *Anti Christus salvabitur*, cuius subiectum verificatur, & tamen ipsa propositio non est vera.

53. Deduces secundo, minus latinè, sed magis Dialecticè dici, voces supponere, & non voces supponi, sumitur enim activa pro passiva, non temerè, sed consilio, & auctori-



tate sapientum, ut D. Thom. & Petri Hispani, imò antiquorum consuetudine, ut constat ex verbis S. Thom. 1. p. q. 39. art. 5. ad 5. *Sophista* ( idest Dialectici in parte Sophistica ) dicunt quod nomina substantiva supponunt, adiectiva verò non supponunt. Vnde, & *substituto*, quod idem valet, ac *suppono*, vulgò receptum est, ut sumatur passivè; dicimus enim Hispanè de eo, qui alterius vices gerit, *substituye por otro*.

54. Deduce tertio, terminos extra propositionem non supponere, quia non verificantur de suo significato iuxta exigentiam verbi, quod ideò necessarium credimus, quia sicut in naturalibus usus partis supponit partem constitutam, & illam intra totum collocat eo situ, & ordine, quo alijs partibus congruè possit adaptari; ita suppositio, quæ usus est, & acceptior termini, terminum supponit constitutum, illumque intra totum vice sui significati ponit, modo, quo requiritur, ut alijs terminis possit verè coniungi, & quia reliquis terminis verè coniungi nequit, quin res significata per illum existat in tempore significato per verbum, id circò necessarium est ad hoc, ut terminus supponat, quod de re significata verificetur terminus iuxta exigentiam verbi.

55. Deduces quarto nomina adiectiva verè supponere, licèt non reddat suppositum verbo, reddere suppositum verbo, vel ut olim  
di.

dicebatur, ferre secum suppositum est, terminum accipi pro aliquo, quod per modum subiecti possit præmitti verbo: hoc atem non est necessarium ad suppositionem, attenda frequentiori significatione, in qua suppositionem definimus; licet attenda alia suppositionis ætymologia, ad necessariū videatur: nam terminum supponere, stat dupliciter, scilicet in significatione activa, vel passiva: in significatione activa est terminum ponere suum significatum sub illo, hoc est, sub verbo, & in hoc sensu solum supponunt, quæ suppositum verbo reddunt, subindeque nomina adiectiva non supponunt; in significatione passiva terminū supponere est, terminum poni loco rei significatæ, ut cum alijs partibus veram propositionem componat: in quo sensu nihil de est adiectivis, ut supponant.

56. Deduces quintò. Optimè dici, propositiones aliquas esse de subiecto non supponere, & minus rectè dici, illas esse falsæ suppositionis, quia falsa suppositio, suppositio non est: solum enim supponit terminus, qui verificatur, id est, verè affirmatur de re significata, aliàs in nullo differrent subijci, & supponere.

57. Tandem deduces, quòd suppositio non est suppositionis positio, id est, affirmatio tacita sui significati sub altera enunciatione express.

pressa; nam in hac propositione *Petrus non disputat* casu, quo Petrus existat, ly *Petrus* supponit, & tamen, nec tacite, nec expresse propositio affirmat Petrum existere. Deinde, quia in omni propositione affirmativa unum supponitur tacite, & aliud enuntiantur expresse. V. gr. qui dicit, quod Petrus currit, supponit Petrum existere, & dicit illum currere: & tamen non in omni propositione affirmativa omnes termini supponunt: ergo nec omnis terminus tacite affirmans supponit, nec omnis terminus supponens tacite affirmat: supponere ergo pro eo, quod est tacite affirmare, non est supponere, de quo agitur in presenti; sed est supponere, in alia acceptione, iuxta quam respondendo dicere consuevimus: Nego suppositum, id est nego quod tacite affirmat propositio.

## CAPUT III.

*De Divisionibus suppositionis.*

56. **C**UM suppositio sit acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur; respicit *obiectum*, pro quo accipitur, *copulam*, in ordine ad quam fit verificatio, & *signum*, quo terminus afficitur. Qua parte respicit obiectum, dividitur in *propriam*, & *impropriam*: propria est acceptio termini pro eo; quod  
pre-

propriè significat, vel representat. Improptia; est acceptio termini pro eo, quod impropriè, & metaphoricè significat. Significatum termini potest esse duplex, proprium, & improprium; proprium est, quod significat terminus ex vi primariæ impositionis; qualiter hæc vox *leo* significat verum leonem. Improprium, quod significat terminus ratione alicuius similitudinis cum suo significato proprio, qualiter *leo* Christum significat. Undè hic terminus *leo* supponit propriè in hac propositione: *leo rugit*; sed in ista: *vicit leo de tribu Iudà* supponit impropriè.

59. Suppositio propria subdividitur in formalem, quæ est acceptio termini pro suo significato. V. gr. *Petrus est rationalis*: & materialem, quæ est acceptio termini pro se ipso. Ut *Blicteri est vox*: suppositio ista dicitur materialis, quia significatio est forma reddens vocem aptam, ut induat intentionem termini, & vox materialitèr supponens non ponitur significativè: ut dè nec terminus in hac definitione sumitur propriè nec ista suppositio est propriè talis, quia suppositio est substitutio, & nihil pro se propriè substituit. Vocem supponere materialitèr, cognoscitur ex tribus; primò cum subiecto apponuntur signa materialitatis, ut hæc dictio *hæc vox, hic terminus*. Secundo, quando vox ipsa nihil significat. Tercio, quod prædicatum

fig.

significat vocem, & non rem; ut si dicas: *hæc vox homo componit propositionem. Eliciri est trisyllabum. Homo est nomen.*

60. Suppositio *formalis* subdividitur in *simplicem*, & *personalem*; simplex est acceptio termini pro eo, quod primò, & *immediatè* representat, *Ut homo est species*, idest, pro suo significato primario, & immediato, & non pro mediato, & secundario: itaque significatum termini communis est duplex, aliud *primarium*, & *immediatum*, scilicèt, ratio communis abstracta ab individuis; aliud *mediatum*, & *secundarium*, nempe, individua, in quibus ratio communis participatur: dicitur hæc suppositio *simplex*, quia determinat terminum ad simplicem, & præcisam acceptationem pro significato primario, illum immobilizando, idest, non permittendo, ut sub illo fiat descensus ad individua. Quo circa: non valet, *homo est species: ergo hic homo est species, vel ille homo est species.* Potest proportionali modo in termino singulari distinguere duplex significatum, unum *primarium*, scilicèt, ratio propria individui; & aliud *secundarium*, nempe id, quod convenit illi ratione naturæ. Terminus singularis acceptus pro primo significato supponit simpliciter, ut in hac: *Petrus est individuum*; acceptus pro secundo, supponit personaliter, ut in ista: *Petrus est homo.*

62. Suppositio personalis est acceptio termini pro individuis, ut in hac propositione: *homo est animal*; dicitur personalis hæc suppositio, quia non restringit terminum, ut accipiatur pro solo primario significato, sed permittit, ut descendat ad personas; unde terminus personalitèr supponens, mobilitèr supponit, & sub illo potest fieri descensus ad inferiora dicendo *homo est animal*: ergo *hic homo est animal*, vel *ille homo est animal*.

62. Ratione habitudinis ad copulam, suppositio personalis dividitur in naturalem, & accidentalem; naturalis est acceptio termini pro omnibus, pro quibus natus est accipi. V. gr. in hac propositione: *homo est animal*. Ly *homo* supponit naturalitèr, quia accipitur pro omnibus hominibus, ad quos significatio eius extenditur. Accidentalitèr est: acceptio termini pro his tantum, de quibus verificatur iuxta exigentiam verbi, ut in hac propositione, *homo est albus* ly *homo* accipitur tantum pro hominibus existentibus in tempore præsentis. Undè in omni propositione necessaria termini naturalitèr supponunt, quia in ea verbum non restringit extrema ad aliquam differentiam temporis: in omni verò propositione contingenti termini supponunt accidentalitèr, quia in ea extrema accipiuntur restrictè pro existentibus determinatè in tempore significato per verbum.

64. Ut ex parte habitudinis ad signa ( quibus terminus afficitur ) dividas suppositionem personalem, nota: quod signa quædam sunt universalialia, quædam particularia, alia media: idest, partim universalialia, partim particularia, alia denique sunt signa specialis confusionis. Universalialia, quædam affirmativa, ut *omnis, qui libet*; alia negativa, ut *nemo nullus, & ly non* particularia, ut *aliquis, quidam*. Media, ut *omnis aliquis, alter, neuter*; quando incompletè accipiuntur: accipiuntur completè, quando purè universalialitèr, vel purè particularitèr exponuntur; incompletè verò, quando partim universalialitèr, partim particularitèr exponuntur. V. gr. *ly omne* accipitur completè in hac propositione, *omne animal fuit in Arca Noè*, si faciat hunc sensum *omnis speciei animalis omnis animal fuit in Arca Noè*: incompletè verò si faciat hunc sensum *omnis speciei animalis aliquod animal fuit in Arca Noe*. *Ly aliquod* accipitur completè in hac propositione *aliquod animal fuit in Arca Noe*. Si faciat hunc sensum: *alicuius speciei animalis aliquod animal fuit in Arca Noe*. Incompletè verò si sit sensus: *alicuius speciei omne animal fuit in Arca Noe*. *Ly uterque* accipitur completè in hac propositione, *uterque homo currit*; si sensus sit, *cuiuslibet binarij hominum quilibet currit*: incompletè verò, si sit sensus, *cuiuslibet binarij hominum aliquis currit*.

65. Denique *ly alter* accipitur completè in hac propositione *alter homo currit*, si sic sensus alicuius binarij aliquis currit: incompletè verò, si sensus sit alicuius binarij quilibet homo currit. Signa specialis confussionis sunt, *tantum, requiritur, premitto, his, &* similia; talia dicuntur, quia faciunt terminum supponere confusè tantum.

66 His præiactis, suppositio personalis, qua parte respicit signa, dividitur in communem, & singularem. Communis est acceptio termini communis, ut in hac propositione, *homo disputat*. Singularis est acceptio termini singularis, ut in hac, *Petrus disputat*. Communis subdividitur in determinatum, & confusam. Determinata est acceptio termini communis nullo signo, aut signo particulari affecti; unde extrema huius propositionis *homo est albus*, supponunt determinatè. Confusa est, acceptio termini communis signo universalis, vel signo specialis confussionis affecti, ut *omnis homo est animal*; *promitto tibi librum*. Et est duplex, altera distributa, & altera confusa tantum. Distributa est acceptio termini communis signo universalis affirmativo immediatè, vel signo universalis negativo mediatè, sive immediatè affecti, ut suppositio subiecti istius propositionis, *omnis homo est animal*, & suppositio tam subiecti, quàm prædicati istius propositionis, *nullus homo est lapis*.



*lapis. Confusa tantum est acceptio termini affecti mediatè signo universalis affirmativo, vel aliquo signo specialis confusionis, ut in his propositionibus, omnis homo est animal; requiritur oculus ad videndum: ly animal, & ly oculus stant confuse: distributiva adhuc est duplex: alia completa, alia incompleta. Prima est, acceptio termini pro singulis generum, ut omnis homo est animal. Secunda est, acceptio termini pro generibus singulorum, ut omne animal fuit in Arca Noè.*

67. Denique dividitur suppositio *confusa tantum*, in *confusam copulatam*, & *confusam disiunctam*. Copulata est *acceptio termini communis affecti signo universalis collectivo*, id est, signo denotante prædicatum inferioribus subiecti non divisivè, & seorsim, sed simul sumptis *convenire*, ut *omnes Apostoli sunt duodecim*. Disiuncta est, *acceptio termini communis affecti signo disiunctionis*, id est signo denotante prædicatum *convenire inferioribus subiecti, vagè & indeterminatè sumptis, ut requiritur oculus ad videndum.*



## CAPVT XI.

## De Regulis suppositionis.

68. **P**Rima suppositionis regula est. *Terminus communis, nullo signo; aut signo particulari affectus, supponit determinatè, vt in hac propositione, aliquis homo est albus, ly homo, & ly albus, supponunt determinatè. Supponere determinatè est, accipi pro suis significatis disiunctivè, quod contingit quando propositio æquivalet disiunctivæ eiusdem prædicati, & subiecti, in qua, loco termini supponentis determinatè, ponantur illius singularia, vt illa propositio: aliquis homo est albus æquivalet huic: hic homo est albus, vel hic homo est albus: æquivalet quoque huic disiunctivæ, aliquis homo est hoc album, vel aliquis homo est hoc album. Dicitur hæc suppositio determinata, quia propositio verificatur in aliquo determinato significato termini supponentis determinatè, vt quia in præfata propositione, ly homo supponit determinatè, de aliquo homine determinato verificari debet, quod sit albus, & quia album supponit determinatè de aliquo albo determinatè verificari debet, quod convenit homini.*

69. *Secunda regula. Terminus communis af-*  
feco

fectus immediatè signo universalis affirmativo, vel mediatè, aut immediatè signo universalis negativo supponit distributivè. Ut subiectum huius propositionis: *omnis homo est albus*; & subiectum, & prædicatum huius; *nullus homo est lapis*. Supponere distributivè est terminum accipi pro hominibus suis significatis copulativè. Vnde *omnis homo disputat*, æquivalet hic copulativæ, *hic homo disputat, & ille homo disputat, & ille, &c.*

70. Tertia regula. Terminus communis, qui mediatè sequitur signum universale affirmativum, vel immediatè affectus signo specialis confusionis, supponit cõfusè disiunctim, ut ly *animal*, & ly *equus* in his; *omnis homo est animal, ad equitandam requiritur equus*. Supponere disiunctim est terminū accipi pro omnibus suis significatis vagè, ita ut in nullo eorum determinatè verificetur propositio: vnde *requiritur equus* æquivalet non disiunctivæ, sed huic propositioni de disiuncto extremo: *requiritur hic, vel ille equus.*

71. Quarta regula. Terminus communis, affectus signo universalis collectivo, supponit collectivè, ut ly *Apostoli*, in hac propositione, *omnes Apostoli Dei sunt duodecim*. Supponere collectivè est, terminū accipi prorsus significatis copulativè. Quod contingit, quando totum prædicatum non convenit singulis divisivè, sed omnibus coniunctim; vnde prædicta propositio æquivalet isti: *hic, & ille Apostolus, numerando omnes, sunt duodecim.*

72. Quinta regula. Terminus communis duabus negationibus, aut una negatione, & alio signo universalis affirmative affectus; si dempta prima negatione manet distributus in ordine ad terminum supponentem determinatè, cum illa supponit confusè: si autem dempta prima negatione, manet distributus in ordine ad terminum supponentem confusè, cum illa supponit determinatè. Exemplum primæ partem in prædicati huius propositionis, nullus homo non est albus; secundæ, exemplum in subiecto huius, non omnis homo est animal.

73. Sexta regula. Incomplexi, quorum una pars se habet, ut determinans, & alia, ut determinabilis, si accipiuntur unica acceptione, pars determinans non potest resolvi antequam resolvatur pars determinabilis: si verò accipiuntur pluribus, quælibet pars supponit per se mobilitèr iuxta regulas communes. Accipitur complexum unica acceptione, quando obliquus sequitur post rectum, ut equus hominis: accipitur pluribus, quando rectum obliquus antecedit, ut hominis equus. Pars determinans est obliquus, pars determinabilis est rectus: igitur in hac propositione equus cuiuslibet hominis currit, ly cuiuslibet hominis non potest resolvi in suas singulares, antequam resolvatur ly equus. In hac verò propositione hominis equus currit: potest incipere resolutio à ly hominis.

## CAPUT XII.

## De Relativis.

74. **R**elativum grammaticum, de quo solo loquimur, propter specialem difficultatem in eius resolutione, & suppositione, diffinitur: *Rei ante lata recordativum*, & est duplex, relativum scilicet substantiæ, quod refert suum antecedens per modum substantiæ, ut *qui & ille*, relativum accidentiæ, quod refert suum antecedens per modum accidentis, ut *talis, qualis, quantus*; nam in hac propositione, *Petrus currit, & ille disputat*, ly *ille* refert, seu revocat in memoriam substantiam, nempe personam Petri; in ista verò, *Petrus est magnus, quantus est Paulus* ly *quantus* refert accidens, scilicet Petri magnitudinem. Subdividitur utrumque in relativum identitatis, quod accipitur pro eodem, ac suum antecedens. Ut *Petrus, qui currit, disputat: Petrus est doctus, & talis & Paulus*: & relativum diversitatis, quod accipitur pro alio, quam suum antecedens, ut *Petrus disputat, & alius currit*. Sed inter *alius* masculinè, & *aliud* neutrum observa hos discrimen, quod *aliud* accipitur pro alio essentialitèr distincto à suo antecedenti; *alius* verò accipitur pro alio personalitèr distincto ab antecedenti. Unde in-

divinis Pater est *alius* à Filio, sed non est *aliud* à Filio. Relativum identitatis subdividitur in *reciprocum*, & *non reciprocum*. Reciprocum est, quod quandam regressionem significat supra suum antecedens, ut si dicas, *Petrus diligit se*. non reciprocum est, quod talem regressionem non significat, ut *qui*, & *ille*, & alia plura.

75. Pro relativis quatuor statuuntur regulæ. Prima circa resolutionem; propositio constans relativo *qui*, si sit singularis, vel particularis affirmativa, vel si sit universalis negativa potest immediatè resolvi ratione relativi; propositio verò particularis negativa, & eius contradictoria universalis affirmativa non possunt immediatè resolvi, ratione relativi, sed prius debent resolvi iuxta, modum suppositionis subiecti in suas singulares, ut postea possint resolvi ratione relativi.

76. Pro intelligentia huius regulæ nota primò: aliquem terminum resolvi, nil aliud esse, quam explicari confusionem propositionis, ita ut à resolubili ad resolventes, & e contra sit mutua consequentia. Nota secundo; propositionem affirmativam de relativo *qui* exponi per copulativam in cuius prima cathetica prædicatum affirmatur de subiecto media copula principali, & in secunda, copula implicationis enunciatur de relativo ille immutata ipsius qualitate: ut *Petrus, qui currit disputat*; resolvitur ita: *Petrus disputat,*

& ille currit. Petrus qui non currit., disputat: resolvitur ita: Petrus disputat, & ille non currit; negativa verò exponitur per disiunctivam, in cuius prima categorica prædicatum negatur de subiecto media copula principali; in secunda verò, copula implicationis enuntiat de relativo ille, mutata ipsius qualitate: ut ista: Petrus, qui currit, non disputat: resolvitur sic: Petrus non disputat, vel ille non currit; & ista: Petrus, qui non currit, non disputat resolvitur ita, Petrus non disputat., vel ille currit. Undè iuxta primam partem regulæ bene valet, nullum animal, quod est risibile, est irrationale: ergo nullum animal est irrationale, vel illud non est risibile: deinde iuxta secundam partem regulæ non valet: Omne animal, quod est rationale est risibile: ergo omne animal est risibile, & illud est rationale; sed debet prius resolvi propositio ratione suppositionis distributivæ subiecti in suas singulares, dicendo, hoc animal, quod est rationale, est risibile, & hoc animal, quod est rationale est risibile, & tunc poterit quælibet singularis resolvi immediatè ratione relativi, dicendo, hoc animal est risibile, & ipsum est rationale.

77. Secunda regula pro restrictione relativi; In propositionibus affirmativis copula iuris, & in disiunctivis earum contradictorijs relativum positum in secunda categorica refert restrictè suum

*antecedens, secus verò in disiunctivis affirmativis, & in copulativis earum contradictorijs. Referre restrictè antecedens, est accipi pro antecedenti non absolutè, sed restricto per prædicatum: unde in hac copulativa. Omnis homo currit, & ille disputat, ly ille refert, & accipitur nõ pro homine absolutè, sed pro currente: in ista verò homo currit, vel ille disputat ly ille accipitur non pro homine determinatè currente, sed pro homine absolutè sine ulla restrictione.*

78. Tertia regula, pro suppositione relativi reciproci: *Relativum reciprocum supponit sicut suum antecedens v. gr. in hac homo diligit se, ly se supponit determinatè, sicut ly homo, & in hac, mater diligit filium suum: ly suum supponit, sicut ly mater, què refert in obliquo.*

79. Quarta regula, circa suppositionem non reciproci: *Relativum non reciprocum non supponit suppositione sui antecedentis, sed iuxta qualitatem signorum, quibus afficitur: vndè in hac propositione, omnis homo disputat, & ille loquitur, ly ille non supponit distributivè, sicut ly homo, sed determinatè, quia nullo signo afficitur.*





## CAPUT VI.

## De Ampliatione, &amp; restrictione.

80. **A**mpliatio, quæ est altera proprietas termini intra propositionem, diffinitur *extensio termini à minori ad maiorem suppositionem.* Restrictio verò, *coarctatio termini à maiori ad minorem suppositionem.* Suppositio hic non accipitur strictè; sed latè, pro usu; & acceptione termini; nam in hac propositione, *equus albus currit*, *ly equus* restringitur, etiã si nullus equus sit pro quo supponat: ampliatur ergo terminus, cum accipitur pro pluribus, sed restringitur, cum accipitur pro paucioribus. Ampliatio est duplex, quoad significata, & quoad tēpora: quoad significata, quando terminus accipitur in ordine ad plura, vel pauciora significata, quod solùm convenit termino communi: quoad tempora, quando accipitur in ordine ad plures, vel pauciores differentias temporis, quod etiam cōpetit termino singulari, ut si dicas *homo*, nihil addēdo, accipitur pro pluribus hominibus, quàm si dicas *homo iustus*; & in hac propositione: *Petrus est, vel fuit* disiunctivè, accipitur *Petrus* in ordine ad plures differentias tēporis, quàm in ista *Petrus est*; nam in ista accipitur determinatè *Petrus* pro Petro; qui est, in prima verò accipitur indifferentè pro Petro, qui est, vel fuit.

Am.

81. Ampliatur ergo terminus quoad significata, quando accipitur pro pluribus significatis: quoad tempora verò, quando accipitur in ordine ad plures differentias temporis, ad plures (inquam) disiunctivè, nam si sumatur in ordine ad plures copulativè, potius restringitur. Undè restringitur *ly homo*, si dicas, *homo est & fuit*; ampliatur verò, si dicas, *homo est, vel fuit*, quia in prima accipitur homo pro his determinate, qui sunt, & fuerunt, & plures sunt qui sunt, vel fuerunt, quam qui sunt, & fuerunt. Differentiæ temporis apud Dialecticos sunt quinque, scilicet præsens, præteritum, futurum, possibile, & imaginarium; sed sicut res naturales habent statum, quem si excedant, augentur, & à quo, si deficient, minuuntur; ita terminus habet statum, quem si excedat, ampliatur, etsi non pertingat, restringitur: status termini est acceptio termini pro significatis correspondentibus copulæ de præsentibus, id est pro præsentibus: ampliatur ergo terminus, si non solum pro præsentibus, sed etiam pro præteritis, vel futuris accipiatur; restringitur verò, si non perveniat ad hoc, ut pro omnibus præsentibus accipiatur. Undè *ly homo* in hac propositione, *homo disputat*, habet statum: in hac *homo disputavit*, ampliatur; restringitur verò in ista, *homo disputat, & disputavit*, & ut hoc amplius innotescat, sequentes statuuntur regulæ.

## §. I.

## Regula ampliacionis, &amp; restrictionis.

§2. **P**Rima regula: in propositionibus constantibus copula de præterito terminus antecedens verbum ampliatur ad id, quod est, vel fuit; subsequens verò restringitur ad id, quod fuit, vt in hac: *peccator fuit iustus*, ly *peccator* accipitur pro eo, qui modo est, & non fuit peccator, vel pro eo, qui fuit, & iam non est peccator: *iustus* verò accipitur determinatè pro eo, qui fuit iustus. Impropotionibus verò constantibus copula de futuro, terminus antecedens verbum ampliatur ad id, quod est, vel erit; subsequens autem restringitur ad id, quod erit, vt in hac, *peccator erit iustus*; *peccator* accipitur pro eo, qui est, & non erit peccator, vel pro eo, qui est, & non dum est peccator; *iustus* verò accipitur pro eo, qui determinatè erit iustus.

§3. Primò tamen advertè: quod regula intelligitur de termino connotativo, & quoad significatum formale illius; nam si sermo sit de substantivo, vel de connotativo, quoad significatum materiale, semper debet accipi determinate pro aliquo existenti in tempore importato per verbum, licèt contingere possit, quòd existat etiam in alia differentia

temporis. V. gr. in hac propositione : *Petrus* *audivit*, *Petrus* necessariò, & determinatè accipitur pro *Petro*, qui fuit, licèt verificari possit de *Petro* præfenti, dummodo fuerit. Et in hoc, *iustus peccabit*, ly *iustus* necessariò, & determinatè accipitur pro significato materiali iusti quod erit, hoc est pro homine, qui erit, licèt verificari possit de homine præfenti dummodo futurus sit, quæ tamen extensio nominis substantivi ad plura tempora non sufficit ad ampliationem : quia reperitur etiã in termino, qui antecedit copulam de præfenti : nam in hac propositione : *Petrus disputat*, ly *Petrus* accipitur pro *Petro* præfenti, sed verificari potest de *Petro*, qui fuit, vel erit, dummodo præfens sit. Terminus verò connotativus solum in propositione de præfenti accipitur determinatè pro significato formali existenti iuxta exigentiã verbi : vnde hæc propositio est falsa *peccator est iustus*. In propositionibus verò de præterito accipitur pro significato formali præfenti, vel præterito disiunctim, & in propositionibus de futuro pro significato formali præfenti, vel futuro disiunctim. Vnde istæ propositiones possunt esse veræ, *peccator fuit iustus*, *peccator erit iustus*.

84. Nec satis est, inquit Mag. Soto, vt terminus ampliatur, quod disiunctivè supponat pro illo, quod est, vel pro illo, quod fuit, nam

tunc obiectum huius, homo est ampliaretur, sed requiritur, quod supponat disiunctim pro omni eo, quod est, vel fuit. Unde non sufficit, ut terminus ampliatur, quod, vel supponat pro presentibus, vel supponat pro praeteritis, sed debet supponere pro eo, quod indifferens est ad praesens, & praeteritum, ita ut aliquando id, pro quo supponit, possit esse praesens, & aliquando praeteritum; sicut propositionem ut sic significare verum, vel falsum, non intelligitur disiunctivè, sed disiunctim, quia non est propositionem ut sic, significare verum, vel significare falsum; sed est, significare aliquid, quod indifferens est ad verum, vel falsum; ita ut aliquando possit significare verum, aliquando falsum.

85. Adverte secundò: regulam intelligendam esse eodem modo de participio, ac de suo verbo, dummodo sit totale extremum, aut pars principalis, aut adiectivum ipsius extremi, ut in his: *Adam eiectus est de Paradiso*, *Anti Christus est futurus peccator*: in quibus *ly eiectus*, ampliatur sicut verbum de praeterito, & *ly futurus*, sicut verbum de futuro.

86. Tertiò adverte, quod in propositione de futuro, in qua enunciatur inceptio subiecti & in propositione de praeterito, in qua enunciatur desinitio subiecti, non ampliatur subiectum ad praesens, sed restringitur in prima ad futu-

futurum, & in secunda ad præteritum. Unde in his propositionibus *Anti-Christus nascetur; Adam obiit*, ly *Anti-Christus* accipitur pro eo, qui erit, & ly *Adam* pro eo tantum, qui fuit.

87. Secunda regula. Verba significantia inceptionem, vel actionem, qua res incipit, vel proprietatem, ampliant terminos significantes rem, que incipit, & rem priorem ad præsens, & futurum. Ut in his propositionibus, *motus incipit, Petrus edificat domum: Anti-Christo est prior Adamus: motus, domus, Adamus*, accipiuntur pro his, quæ sunt, vel erunt: Verba verò significantia definitionem, vel actionem, que res destruitur, vel posterioritatem, ampliant terminos significantes rem, que definit, & rem posteriorem ad præsens, & præteritum, ut in his propositionibus, *motus desinit esse: Petrus destruit domum: Adamo est posterior Anti-Christus*. Ly *motus, domus*, & *Anti-Christus* accipiuntur pro his, quæ sunt, vel fuerunt.

88. Tertia regula. In propositionibus necessarijs, & in propositionibus de ly potest, possibiliter, necessariò, & de terminis significantibus aptitudinem rei ad essendum, ampliantur omnes termini usque ad possibilis. Ut in eis propositionibus. *Petrus est homo, Petrus potest disputare, possibiliter disputat, necessariò est visibilis, est generabilis, Petrus* (& idem censendum de

liquis terminis) accipitur pro Petro, qui est fuit, vel erit, potest esse.

98. Quarta regula. *Ly imaginario, vel imaginatur, ampliat omnes terminos ad imaginabilia.* V. gr. in hac; *corpus imaginario est chymera:* corpus accipitur pro præsenti, præterito, futuro, possibili, vel imaginabili.

90. Quinta regula. *Verba significantia actum animæ interiorum. Ut intelligo, volo, quibus adiunge significo, ampliant terminos, quibus applicantur, ad imaginabilia.* Ut in hac: *intelligo hirco cervum, ly hirco cervum,* accipitur pro præsenti, præterito, futuro, possibili, vel qui potest fingi.

§. II.

*Loci arguendi in applicatione, & restrictione.*

91. **L**ocus arguendi in ampliatione est duplex. Primus: *ab amplo ad amplum cum distributione ampli, posita constantia non ampli, affirmative valet consequentia: negative etiam sine constantia; sine distributione verò nec affirmative, nec negative valet.* Ponere constantiam, est affirmare existentiam rei, significatæ per terminum. Exemplum primæ partis, *omnis homo disputat, & homo doctus est: ergo homo doctus disputat.* Exemplum secundæ: *nullus homo disputat.*

ergo homo doctus non disputat. . . . . exemplum gratiæ:  
 homo disputat: ergo homo doctus disputat: vel homo  
 non disputat: ergo homo doctus non disputat.

92. Secundus locus: A non amplo ad amplum  
 sine distributione ampli, etiam sine constantia non  
 ampli affirmativè valet consequentia; negativè verò  
 cum constantia: sed cum distributione ampli, nec af-  
 firmativè, nec negativè valet consequentia. Exem-  
 plum primæ partis: homo doctus disputat: ergo homo  
 disputat. Exemplum secundæ: homo doctus non  
 disputat: & homo doctus est: ergo homo non dispu-  
 tat. Quæ consequentia nulla esset, si constan-  
 tia non apponeretur, nam casu, quo omnes  
 homines disputarent, & nullus esset doctus,  
 antecedens esset verum, & consequens fal-  
 sum: exemplum tertiæ partis, nullus homo doc-  
 tus disputat: ergo nullus homo disputat.

93. Circa restrictionem duo sunt notan-  
 da primum, illam posse fieri sex modis. Pri-  
 mò, per copulam implicationis, ut animal, quod  
 est rationale, est risibile. Secundò, per propositio-  
 nem adiectivi ad substantivum, ut homo albus  
 disputat. Tertiò, per propositionem inferioris  
 ad superius, ut animal homo disputat. Quartò,  
 per additionem determinantis ad determi-  
 nabile, ut equus Petri currit. Quintò, potest  
 restrictio fieri quoad genus, ut aliquis homo est  
 albus, si ly aliquis restringat, vetero solis mal-  
 culis, vel pro solis fœminis. Sextò, & ultimo  
 ref.



restrictio potest fieri quoad tempora, ut si dicas, *Petrus qui est, & fuit; fuit albus.*

94. Secundò est notandum, idem esse non restrictum, ac amplum, & restrictum, ac non amplum; vnde fit, locos arguendi pro restrictione esse illos, quos tradidimus agentes de ampliatione, mutato duntaxat nomine ampli in non restrictum, & non ampli in restrictum, ita ut si ibi dicebas, amplo ad non amplum, modo dicas, à non restricto ad restrictum, & ubi dicebas, à non amplo ad amplum, dicas modò à restricto ad non restrictum.

95. Ad genus restrictionis reducuntur, *diminutio*, quæ sic definitur: *distractio termini à totali ad partialem significationem*, ut in hac propositione. *et ipos est albus secundam dentes: remotio*, quæ est *distractio termini*, ut ratione alterius termini repugnantis non possit supponere, ut si dicas, *homo irrationalis disputat*, quæ etiam dici solet *implicatio in terminis*, vel *implicatio in adiecto*: *alienatio*, quæ est *distractio termini à propria ad impropriam significationem*, ut si dicas, *homo est pius, pra-*  
*ta vident.*

\* \* \*



\* \* \*

\* \* \*

\* \* \*

\* \* \*

G 2

CA-

## CAPUT VIX.

## De Appellatione.

96. **V**Tilis est admodum incipientibus ap-  
 pellationis notitia, ut caveant plures  
 fallacias, quæ defectu appellationis inter dis-  
 putandum solent obrepere. Distinguitur, *apli-*  
*catio significati formalis unius termini ad significa-*  
*tum formale alterius*, ut *Petrus est magnus Philosophus*,  
 & primus dicitur terminus appellans, secun-  
 dus, terminus appellatus. *Applicatio* ponitur lo-  
 co generis, in quo appellatio convenit cum  
 alijs applicationibus, quia ubicumque plures  
 termini concurrunt, si disparati non sunt,  
 vnus applicat suum significatum significato  
 alterius: *Significati formalis unius termini ad sig-*  
*nificatum formale alterius*, ponitur loco differen-  
 tiæ, & denotat ad appellationem requiri, quod  
 significatum vnus termini applicetur subiec-  
 to alterius ratione significati formalis ipsius,  
 idest, in quantum tali, & sub formalitate sig-  
 nificata per terminum appellatum, ut in dic-  
 ta propositione, *Petrus est magnus Philosophus*,  
 non significatur, magnitudinem convenire  
 Petro materialitèr sumpto, & absolutè, idest,  
 Petro in quantum tali, sed denotatur, con-  
 venire magnitudinem Petro ratione Phi-  
 lo-

losophiæ, vel Petro, in quantum Philosophus est.

97. Duplex est appellatio: altera realis: altera rationis: realis est applicatio significati formalis realis unius termini ad significatum formale alterius: ut in hac propositione, *Petrus est magnus Philosophus*. Appellatio rationis est, applicatio significati formalis, quod est secunda intentio rationis, ut in hac, *homo est species*, in qua significatum formale speciei, quod est secunda intentio rationis, applicatur homini non absolute, sed sub aliqua formalitate, & in quantum abstracto per considerationem à suis inferioribus.

68. Pro appellatione reali sint prima regula: *Cum substantivum, & adiectivum ponuntur ex parte diversi extremi, nulla intervenit appellatio: ut si dicas. Petrus Philosophus est magnus*, non denotatur, magnitudinem convenire Petro ratione Philosophiæ, sed absolute, ac si diceretur, *Petrus, qui magnus est in quantitate, est Philosophus*; erit tamen appellatio, si ad addatur particula reduplicans, ut *quatenus, in quantum, ut*: unde in reduplicativis semper intervenit appellatio, ut in ista, *Petrus in quantum Philosophus, est magnus*.

99. Secunda regula, quando substantivum, & adiectivum ponuntur ex parte eiusdem extremi, datur appellatio, ut in hac: *Petrus est Philosophus magnus*. Hinc sequitur, dari appellationem,

quando ex parte eiusdem extremi ponitur rectus cum obliquo, cum modo obliquus non præcedat, sed subsequatur rectum, quia dum subsequitur, habet vim adiectivi determinantis rectum, ut in istis, *equus Regis currit, vidi Papam*, quæ æquivalent illis, *equus possessus à Rege currit; sui videns Papam*; nam in prima significatur, quod equus, quando est Regis, currit, & in secunda, me vidisse Papam, quando erat Papa: quare non valet *Regis equus currit*: ergo *equus Regis currit*, quia in antecedenti accipitur *equus* pro equo, qui est, vel fuit Regis; in consequenti verò denotatur, quod quando est Regis, currit: nec valet *Papam vidi*: ergo *vidi Papam*, quia in consequenti denotatur, me vidisse Papam, quando erat Papa, & in antecedenti me vidisse hominem, qui est, vel fuit Papa.

100. Tertia regula: prædicatum secundæ intentionis conveniens rebus, & non vocibus appellat supra significatum formale subiecti, ut in ac: *homo est species*, in qua prædicatum convenit subiecto sub aliqua formalitate, & reduplicatione, hoc est, in quantum abstractio per rationem à suis inferioribus: prædicatum autem secundæ intentionis conveniens vocibus non appellat, sed facit terminum, cui applicatur, supponere materialiter, ut si dicas, *homo est terminus*.

Quar-

101. Quarta regula. Terminus significans actum animæ interiorē appellat supra significatum formale termini, in quem fertur, ut si dicas, *cognosco venientem*, denotatur, me cognoscere venientem, in quantum veniens est quod contingit, quando terminus significans obiectum cognitionis, aut volitionis sequitur verbum; nam si præponatur verbo, tunc verbum non appellat, nam si dicas, *venientem cognosco*, denotatur, eum, qui venit, me cognoscere, sive absolute, sive sub ratione venientis. Unde non valet: *cognosco venientem, Petrus est veniens: ergo cognosco Petrum.*

102. Pro consequentijs unica, & generalis traditur regula in præfenti, & ea est: variatio appellationis inter arguendum vitiat consequentiam. Exemplum: *homo est species, Petrus est homo: ergo Petrus est species. Petrus est magnus Philosophus: ergo est magnus homo: excipe*, cum arguitur ab appellante ratione termini significanti actum animæ interiorē ad non appellantem, nam bene valet: *cognosco venientem: ergo veniente cognosco*: nam si cognosco venientem sub ratione venientis, rectè inferatur me illum cognoscere, sive absolute, sive sub ratione venientis.

103. Quia nomina numeralia habent aliquam similitudinem cum terminis appellantibus, duæ statui solent regulæ circa illa. Pri-

ma est: Nomina numeralia primitiva, speciei, ut unum, duo, tres, adiuncta termino substantivo numerant principaliter formas, & minus principaliter supposita; id est, principaliter denotant, quod formæ significatæ per nomen substantivum sunt tot, quot sunt unitates significatæ per nomen numerale: & minus principaliter, quod supposito significata per substantivum sunt tot, quot sunt unitates significatæ nomine numerali. Undè, cum dico, tres homines, principaliter significo tres esse humanitates, minus principaliter, tria hominis supposita: qua ratione, licèt in divinis sint tres personæ, non sunt tres Dij, quia natura est una tantum: nec una persona, si haberet duplicem naturam, esset duo homines, quia supposita non essent duo.

104. Secunda regula. Nomen numerale primitiva speciei adiunctum adiectivo solum numerat supposita. Undè si tres homines unam tantum haberent albedinem, dicerentur tres albi.

105. Tertia regula. Nomen numerale denominativum, cuilibet termino adiungatur, numerat concretum, cui adiungitur, ita ut, si concretum sub aliqua ratione fuerit unum, & sub alia binum, vel trinum, recipiat utramque denominationem:

unde dicimus Deum esse trinum, & unum.



## CAPUT XV.

## De Oppositione.

106. **E**Xplicatis iam proprietatibus partiū propositionis, rectus ordo doctrine exposcit, ut de proprietatibus agamus, quæ totam propositionem consequuntur: hæ sunt *oppositio, æquipollentia, & conversio*, quæ conveniunt propositioni, prout ad alteram propositionem comparatur. In primis, oppositio subalterna est respectus unius propositionis particularis ad aliam universalem eiusdem qualitatis, & ex eisdem extremis: universalis dicitur *subalternans*, particularis, *subalternata*, & à subalternante ad subalternatam valet consequentia, sed non è converso: unde istæ propositiones, *omnis homo disputat, quidam homo disputat*, sunt subalternæ. Sed quia oppositio subalterna est oppositio respectiva penès universale, & particulare, subindèque impropriè est oppositio, ideò illa prætermittitur.

107. Oppositio, quæ propriè est repugnantia duarum propositionum, diffinitur communiter, *affirmatio, & negatio eiusdem de eodem*, id est duplex propositio, una affirmativa, altera negativa enuntians idem prædicatum de eodem subiecto.

108. Hinc colliges condiciones requisitas ad hoc, ut aliquæ propositiones sint inter se

oppositæ: primò requiritur, quod sint opposi-  
tæ qualitatis, id est, una affirmativa, & altera  
negativa; ea ratione, istæ non opponuntur  
dialecticè, *Petrus est albus, Petrus est niger.*

109. Secundo requiritur, quod subiectum,  
& prædicatum sint idem re, voce, & ordine:  
quare non opponuntur, *omnis canis  
est latrabilis, aliquis canis non est latrabilis*, quia  
subiectum non est idem secundum rem; nec  
istæ: *Marcus orat. Tullius non orat*, quia subiec-  
tum non est idem, quoad vocem: nec istæ,  
*omnis homo est albus, aliquod album non est homo*,  
quia subiectum, & prædicatum non collocan-  
tur in una propositione, eo ordine, quo collo-  
cantur in altera.

110. Fatemur, plures ex propositionibus  
rellatis in his exemplis opponi ex parte rei  
significatæ; sed quia non opponuntur ex mo-  
do significandi, & secundum apparentiam  
vorum, quas dialectici ex instituto currant,  
dicimus, quoad dialecticum non esse opposi-  
tas. Tertiò requiritur, quod sint eiusdem præ-  
dicati de eodem subiecto, pro eodem tempo-  
re, & loco, & cum eadem determinatione:  
unde istæ non sunt oppositæ: *Petrus disputat, Pe-  
trus non disputabit*: quia verificantur pro diver-  
so tempore: nec istæ, *Compluti pluit, Matrini non  
pluit*, quia verificantur pro diverso loco, nec  
istæ, *Petrus doctè disputat, Petrus indoctè non dis-*



putat; quia verificantur cum diversa determinatione. Quarto requiritur, quod servantur eadem proprietates Logicales; hoc est idem genus suppositionis, eadem ampliatio restrictio, & appellatio, qua de causa istæ propositiones non sunt oppositæ, *homo est terminus, nullus homo est terminus*; quia variatur genus suppositionis: itaque non debet mutari suppositio de formali in materiale, de propria in impropriam, de naturali in accidentalem, nec de simplici in personale; potest tamen mutari species suppositionis, quæ attenditur ratione quantitatis, ut determinata in confusam, distributiva in confusam tantum.

III. Item istæ propositiones non opponuntur. *Iustus peccabat; iustus non peccavit*, quia variatur ampliatio; in prima enim accipitur subiectum pro eo, quod est, vel fuit; in secunda pro eo quod est, vel erit; nec opponuntur istæ; *homo disputat, homo doctus non disputat*, quia in secunda ly *homo* restringitur, & non in prima: excipe tamen ab hoc regula restrictionem, quæ provenit à signis propositionem quantificantibus, nam *omnis homo disputat, hic homo non disputat* opponuntur, eliò ly *homo* in prima propositione ad plura se extendat, quam in secunda. Imò in contrarijs, & suo contrarijs non est absolutè necessarium, servari eandem

dem restrictionem, cum plures propositiones sint contrariæ, vel sub contrariæ propter non servatam eandem restrictionem: denique non opponuntur hæ propositiones, *cognosco venientem; venientem non cognosco*, quia eadem appellatio utrobique non servatur.


## CAPUT VI.

112. **D**ividitur oppositio in contradictoriam, contrariam, & sub contrariam, cuius divisionis sufficientia, ut clare constet, advertite: oppositionem aliam esse de lege, & modo enuntiandi, scilicet, quæ modum, & legem oppositionis habet: aliam verò de lege tantum, nempe, quæ legem habet, sed non modum: lex oppositionis est repugnantia unius propositionis cum altera in veritate, & falsitate: modus verò est habitudo unius ad alteram secundum quantitatem: hinc iam patet sufficientia traditæ divisionis. Primò ex parte modi, quia vel propositiones oppositæ ambæ sunt universales, & erunt contrariæ; vel ambæ particulares, & erunt sub contrariæ; vel una particularis, & altera universalis, & erunt contradictoriæ: similiter patet sufficientia ex parte legis: nam, vel pugnant in veritate, falsitate, & erunt contradictoriæ; vel in sola veritate, & erunt contra-

riæ,

riæ; vel in sola falsitate, & erunt sub contrariæ.

113. Unde diffiniuntur contradictoriæ de modo, & lege, universalis, & particulatis, vel in definita oppositæ qualitatis, ut *omnis homo disputat: homo non disputat*, contradictoriæ de lege sunt, affirmatio, & negatio eiusdem de eodem veritate, & falsitate pugnantes: ut *Petrus currit, Petrus non currit*. Contrariæ de modo, & lege sunt propositiones universales oppositæ qualitatis, ut *omnis homo disputat, nullus homo disputat*. Contrariæ de lege sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem sola veritate pugnantes, ut *omnis homo disputat: Petrus non disputat*. Sub contrariæ de modo, & lege sunt duæ propositiones particulares, aut infinitæ eiusdem de eodem oppositæ qualitatis, ut *homo disputat: homo non disputat*: sub contrariæ de lege sunt; affirmatio, & negatio eiusdem de eodem sola falsitate pugnantes, ut *omnis homo non disputat, homo disputat*, si negativa ly *homo* restringat pro solis masculis. Hæc omnia sequentibus figura demonstrabit.



— — — — —  
 O n n i s h o  
 m o e s t  
 a n i m a l .  
 — — — — —

— — — — —  
 C o n t r a r i a .  
 — — — — —

— — — — —  
 N u l l u s h o  
 m o e s t  
 a n i m a l .  
 — — — — —

— — — — —  
 S u b a l t e r n a .  
 — — — — —

— — — — —  
 C o n t r a d i c t o r i a .  
 — — — — —

— — — — —  
 S u b a l t e r n a .  
 — — — — —

— — — — —  
 A l i q u i s  
 h o m o e s t  
 a n i m a l .  
 — — — — —

— — — — —  
 S u b c o n t r a r i a .  
 — — — — —

— — — — —  
 A l i q u i s h o  
 m o n o n e s t  
 a n i m a l .  
 — — — — —

## CAPUT XVI.

*Leges, conditiones, & regula pro qualibet specie  
 oppositionis.*

114. **L**EX contradictoriarum est, quod  
 pugnent in veritate, & falsitate;  
 unde utraque non potest esse vera, neque  
 utraque potest esse falsa: veritas huius legis  
 facile demonstratur: si duæ contradictoriæ  
 essent simul veræ idem esset, & non esset: si  
 essent falsæ, aliquid nec esset, nec non esset.

Sed

Sed lumine naturæ constant hæc duo principi-  
 pia : *Impossibile est idem simul esse, & non esse:*  
*quodlibet est, vel non est* : ergo duæ contradicto-  
 riæ non possunt esse simul veræ, nec possunt  
 esse simul falsæ.

115. Lex contrariarum est, quod pug-  
 nent in veritate, & non in falsitate: hoc est;  
 quod possint esse ipsæ, vel aliæ similis formæ  
 simul falsæ, non tamen simul veræ. Quod sic  
 ostenditur: si duæ contrariæ possent esse si-  
 mul veræ, duæ contradictoriæ possent esse si-  
 mul veræ; sed hoc est impossibile: ergo duæ  
 contrariæ non possunt esse simul veræ. Pro-  
 batur maior: si istæ contrariæ *omnis homo dis-*  
*putat: nullus homo disputat*: essent simul veræ,  
 omnes particulares sub illis contentæ, essent  
 veræ, sed particulares sub illis contentæ con-  
 tradictoriè opponuntur universalibus, quæ  
 supponuntur veræ, nam sub illa universali:  
*omnis homo disputat*, continetur hæc, *homo dispu-*  
*tat*, quæ est contradictoria alterius univerla-  
 lis, scilicèt: *nullus homo disputat*, & sub hac nul-  
 lus homo disputat, continetur, *homo non disputat*;  
 quæ est contradictoria illius *omnis homo dispu-*  
*tat*: ergo darentur duæ contradictoriæ si-  
 mul veræ. Rursum: stante falsitate propofi-  
 tionis universalis, stat veritas alicuius par-  
 ticularis contentæ sub illa: ergo stante  
 falsitate utriusque contrariæ, non sequitur,  
 quod

quod omnes particulares contentæ sub illis  
sint falsæ; sed istæ opponuntur contradictoriè  
duabus illis inter se contrarij: ergo ex quo  
contrariæ simul sint falsæ, non sequitur, quod  
dentur duæ contradictoriæ simul falsæ.

116. Lex sub contrarium est, quod pugnent  
in falsitate, sed non in veritate: id est quod  
non possint esse simul falsæ, sed, aliquando  
possunt esse simul veræ, & probatur: quia si  
subcontrariæ. V. gr. *aliquis homo disputat: ali-*  
*quis homo non disputat*, essent simul falsæ, daren-  
tur duæ contrariæ simul veræ: ergo non pos-  
sunt esse simul falsæ. Probo antecedens: si  
illæ propositiones essent simul falsæ, earum  
contradictoriæ essent veræ; sed earum con-  
tradictoriæ sunt illæ contrariæ: *omnis homo*  
*disputat: nullus homo disputat*: ergo contrariæ  
essent simul veræ. Iterum probatur: hæc lex.  
Si illæ sub cōtrariæ essent falsæ, darentur duæ  
contradictoriæ falsæ: consequens est impos-  
sibile: ergo, & quod dentur sub contrariæ fal-  
sæ. Pro antecedens, si illæ sub contrariæ  
essent falsæ, illarum subalternantes, scilicet:  
*Omnis homo disputat: nullus homo disputat*, essent  
falsæ, quia ad falsitatem vniversalis sufficit,  
quod aliqua particularis sit falsa; sed subal-  
ternantes istæ opponuntur contradictoriè  
prædictis sub contrarijs, quæ supponuntur  
falsæ: ergo darentur contradictoriæ simul

falsæ. Hoc inconueniens non sequitur, ex quo sint simul veræ: quia ad veritatem vniversalis non sufficit, quod aliqua particularis sit vera: ergo ex quo sub contrariæ sint veræ, non sequitur, quod vniversales earum contradictoriæ sint veræ.

Vbi advertendum, est quod diximus, posse contrarias esse simul falsas, & subcontrarias posse esse simul veras, intelligi per se, & ex vi formæ, quia per accidens, & ratione materiæ possunt pugnare in veritate, & falsitate, sicut istæ, *omnis homo est animal, nullus homo est animal*, quia sunt in materia naturali, non possunt esse simul falsæ, & propter eandem rationem: *aliquis homo est animal, homo non est animal*, non possunt esse simul veræ; aliæ tamen contrariæ similis formæ in materia contingenti possunt esse simul falsæ, & aliæ subcontrariæ similis formæ in materia contingenti possunt esse simul veræ.

116. Contradictoriarum conditio est quod omnis vniversalitas vnus propositionis mutetur in altera in particularitatem, & omnis particularitas in vniversalitatem: in hac, & sequentibus conditionibus intelligitur hæc mutatio particularitatis, & vniversalitatis de vniversalitate, & particularitate etiam adverbiali: vnde vniversalitates istæ *semper nunquam, nullibi, ubique, &c.* debent mutari

in istas particularitates, *aliquando, alicubi, vel, ut* si assignare velis contradictoriam huius: *omnis homo semper, & ubique currit*, debes dicere, *aliquis homo aliquando, vel alicubi non currit*. Idem censendum est de universalitate, & particularitate ratione modi; vnde *impossibile, & necessarium*, qui modi sunt universales, debent mutari in *possibile, & possibile non*; similiter in propositionibus includentibus universalitatem, & particularitatem ratione signi incompletè distribuentis, vel ratione alicuius termini, qui exponitur per universalitatem, & particularitatem, ut: *Petrus contingentè currit, quæ exponitur per possibiliter currit, & possibiliter non currit*, ubi *ly possibiliter* est particularitas, & *ly &*, est universalitas, debet universalitas unius mutari in altera in particularitatem, ut si dicas, *omne animal fuit in Arca Noè*, *ly omne* sumpto incompletè, cum exponatur sic, *cuiuslibet speciei aliquod animal fuit in Arca Noè*, erit eius contradictoria, *alicuius speciei nullum animal fuit in Arca Noè*; & si dicas, *Petrus contingentè currit*, contra dices sic, *Petrus impossibilitèr currit, vel impossibilitèr non currit*. Ab hac regula excipitur universalitas, quando est pars extremi, quia tunc non debet mutari; sed servari, ut in hac: *id, quod est omnis homo, est animal*, *ly, omnis*, est pars extremi, nec mutari debet in eius contradictoria: & in hac: *omnis ho-*



*homo, servans omne mandatum Dei, salvabitur, ly omne est pars extremi, & in ipsius contradictoria non mutatur.*

118. Contrariarum conditio est, quod in utraque non maneat eadē particularitas, potest tamen manere eadem universalitas, licet hoc non sit necessarium ad contrarietate de lege, ut patet in istis: *nullus homo disputat: Petrus disputat.* Excipe ab hac regula copulativas, cū aliqua pars unius opponitur contrariē, vel contradictoriē alicui parti alterius. V. gr. istæ: *omnis homo currit, & aliquis homo disputat: nullus homo currit, & aliquis homo non disputat,* sunt inter se contrariæ, licet maneat eadem particularitas in subiecto secundæ categoricæ, quia prima pars unius copulativæ opponitur contrariē primæ parti alterius.

116. Subcontrariarum conditio est, quod non maneat in utraque eadem universalitas: à qua regula excipies disiunctivas, cum pars unius opponitur contradictoriē, vel subcontrariē parti alterius. Unde istæ: *homo disputat, vel omnis homo currit: homo non disputat, vel nullus homo currit,* subcontrariæ; quia licet maneat eadem universalitas in subiecto secundæ categoricæ, tamen prima pars unius opponitur subcontrariē primæ parti alterius.

\*\*\*

H 2

S.

(S.)

*Regula ad cognoscendas contrarias, & subcontrarias.*

120. **A**d cognoscendas verò propositiones contrarias, & subcontrarias duæ sunt regulæ. Prima: Si datis duabus propositionibus oppositæ qualitatibus, affirmativa inferat contradictoriam negativæ, & non inferatur ex illa, illæ sunt contrariæ, ut istæ sunt contrariæ de lege. *Nullus homo currit, Petrus currit: quia affirmativa infert contradictoriam negativæ, scilicet hanc: aliquis homo currit, & non inferatur ex illa; nam bene valet: Petrus currit: ergo aliquis homo currit: non tamen valet: aliquis homo currit: ergo Petrus currit.* Ratio est: quia si affirmativa infert contradictoriam negativæ, pugnant in veritate, et si non inferatur ex illa, non pugnant in falsitate: ergo sunt contrariæ, Prima pars antecedentis probatur: Ex eo, quod affirmativa inferat contradictoriã negativæ, si affirmativa est vera, contradictoria negativæ debet esse vera, quia in bona consequentia si antecedens est verum, etiam consequens est verum; sed si contradictoria negativæ est vera, ipsa negativa est falsa: ergo si affirmativa infert contradictoriam negativæ, affirmativa, & negativa pugnant in veritate. Secunda verò pars antecedentis probatur, quia eo ipso, quod affirmativa non inferatur ex contradictoria negativæ, potest affirmativa esse falsa

sa, & contradictoria negativæ vera; quia in mala cōsequentia stat antecedens verū, & cōsequens falsum; sed si contradictoria negativæ est vera, ipsa negati. est falsa: ergo si affirmativa non infertur ex contradictoria negativæ; affirmativa, & negativa nō pugnant in falsitate.

Secunda regula: Datis duabus propositionibus oppositæ qualitatis, si affirmativa inferatur ex contradictoria negativæ, & non inferat illam, sunt subcontrariæ; ut istæ sunt subcontrariæ de lege: *Nullus homo albus currit, homo currit*: quia affirmativa inferatur ex contradictoria negativæ, scilicet, ex hac: *homo albus currit*: & non inferat illam; nam benè valet: *homo albus currit*: ergo *homo currit*. Non tamè valet: *homo currit*: ergo *homo albus currit*. Ratio est; quia si affirmativa inferatur ex contradictoria negativæ, pugnant in falsitate; & si non inferat illam, non pugnant in veritate: ergo sunt subcontrariæ. Prima pars antecedentis probatur; eo ipso, quod affirmativa inferatur ex contradictoria negativæ, si affirmativa est falsa, etiã contradictoria negativæ est falsa, quia in bona consequentia non stat consequens falsum, & antecedens verum; sed si contradictoria negativæ est falsa, ipsa negativa est vera: ergo si affirmativa inferatur ex cōtradictoria negativæ, affirmativa, & negativa pugnant in falsitate. Secunda verò pars antecedentis probatur:

tur: quia si affirmativa non infert contradicto-  
riam negativæ, potest affirmativa esse vera, &  
cōtradictoria negativæ falsa, quia in mala con-  
sequentia potest antecedens esse verū, & con-  
sequens falsum; sed si contradictoria negativæ  
est falsa, negativa est vera: ergo si affirmativa  
non infert contradictoriā negativæ, affirmati-  
va, & negativa non pugnant in veritate,

## CAPUT XVII.

## De Æquipollentijs

121. **Q**uæcumque propositiones, eundē ha-  
bentes sensum, possunt dici æquipollentes,  
ut universalis, & singularis acceptæ co-  
pulativæ, & quæcumque resolubilis, & ipsius  
resolventes; sed in præsentis solum agimus de  
illis æquipollētibus, quæ ex oppositis reddun-  
tur æquivalentes quoad sensum, ratione nega-  
tionis præpositæ, vel postpositæ, vnde defini-  
tur æquipollentia, *duarum propositionū opposita-  
rum per variationem negationis æquivalentia.*

122. Quæ propositiones, & quomodo ex op-  
positis æquipollentes fiant, indicat hic versus:  
*præ contradic. post contra. præ post que sub alter.*

123. Ex quo tres regulæ eliciuntur. Prima:  
*Contradictoriae sunt æquipollentes, si uni ipsarum  
negatio præponatur, ut hiltæ: omnis homo est albus,  
aliquis homo non est albus, fiunt æquipollentes,  
si dicas: Non omnis homo est albus, aliquis homo non  
est albus, vel si dicas: omnis homo est albus, non ali-  
quis*

*quis homo non est albus: &* ratio est, quia cum negatio sit malignantis naturæ, quæ quidquid post se invenit, destruit, & eius oppositum reddit, præposita contradictoriæ, totam eius oppositionem destruit, & oppositum oppositionis reddit, scilicet æquivalentiam; unde si eue præposita eidem propositioni, reddit eius contradictoriã, ita præposita contradictoriæ reddit illam eandem quoad sensum cum altera contradictoria.

124. Secunda regula: contrariæ fiunt æquippollentes, si alterius subiecto negatio postponatur: ut istæ, *hominis homo currit, nullus homo currit*, sicut æquippollentes si dicas *omnis homo non currit, nullus homo currit*, vel si dicas, *omnis homo currit, nullus homo non currit*, Verificatur hæc regula in contrarijs de modo; secus verò in contrarijs de lege tantum, ratione alicuius distributionis incòpletæ, seu restrictionis; unde non fiunt æquippollentes, etiam si negationem postponas, istæ: *omnis homo albus currit, nullus homo currit*, nec istæ: *nullus homo currit, uterque homo currit*, quæ sunt contrariæ, sed de lege tantum.

125. Tertia regula: subalternæ fiunt æquippollentes, si vni illarum præponatur, & postponatur negatio, ut istæ, *omnis homo currit, aliquis homo currit*, erunt æquippollentes, si dicas: *non omnis homo non currit, aliquis homo currit*,

vel si dicas, *omnis homo currit, non aliquis homo non currit*: Subcontraria verò æquippollentes non fiunt, quia si vni illarum præponatur negatio, redditur vniuersalis; ac proidè non æquivalens alteri particulari; si postponatur affirmatiuæ, non fit æquivalens negativæ, sed fit formalitèr ipsa negativa; si verò postponatur negativæ, dicendo, *aliquis homo non disputat*, fit inepta, & inconfueta repetitio. Vt hucusq; dicta firmitus hæreant memoriæ, traduntur hi ver-  
 tus indicantes, quo ratione signa invicè æquip-  
 polleant. *Non omnis, quidam non: omnis non quasi nullus  
 Non nullus quidam; sed nullus non, valet omnis:  
 Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.  
 Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.*

## CAPUT XVIII.

## De Conversionibus.

126. **T**ertia propositionis proprietas est cõ-  
 versio, cuius notitia necessaria est ad  
 reducendum syllogismos imperfectos ad per-  
 fectos, & diffinitur sic: *Vnius propositionis in alte-  
 ram per transmutationem extremorum servata ea-  
 dem qualitate, consequentia formalis; vt nullus ho-  
 mo est lapis: ergo nullus lapis est homo, vbi tota con-  
 sequentiæ dicitur conversio, antecedens, proposi-  
 tio conversa, consequens verò convertens: ly per  
 transmutationem extremorum denotat, quod sub-  
 jectum convertæ debet fieri prædicatum con-  
 vertentis, & prædicatum conversæ subiec-  
 tum*

tum convertentis: quod si prepositio fuerit de secundo ad iacente, debet fieri conversio medio participio inclūto in verbo: vnde istæ propositiones: *equus est hominis: homo habet equum,* convertentur sic; *ens hominis est equus: habens equum est homo.*

127. *Servata eadem qualitate*, id est perseverante eadem affirmatione, vel eadem negatione in conversa, & convertente: *ly consequentia formalis* petit, quod saltem à conversa ad convertentem sit formalis consequentia. Vnde in conversione, vt rectè fiat, debent servari proprietates logicales, & conditiones omnes, quas leges bonæ consequentiæ præscribunt, id circo conversio ista claudicat: *hic puer erit senex: ergo hic senex erit puer.* Non enim servatur eadem restrictio, quia *puer* in antecedenti accipitur pro eo, qui est, vel erit, & in consequenti pro eo, qui erit determinate; nec istæ: *homo est romen: ergo romen est homo: homo est piæctus: ergo piæctus est homo: homo est species: ergo species est homo:* non enim servatur idem genus suppositionis, quia *ly homo*, in prima conversione supponit materialitèr in conversa, & formalitèr in convertente: in secundo supponit improprie in conversa, & propriè in convertente: in tertia supponit simpliciter in conversa, & personalitèr in convertente. Similitèr, nec ista, *Deus fac-*

*factus est homo* convertitur benè, si dicas: *homo factus est Deus*: quia variatur appellatio; appellat enim in antecedenti, *ly factus* supra naturam humanam, & in consequenti supra divinam.

128. Triplex est conversio, *simplex*; *per accidens*, & *per contrapositionem*. Simplex est conversio unius propositionis in alteram servata eadem quantitate, ut *quidam homo est albus*: ergo *aliquid album est homo*: diciturque conversio *simplex*, quia in ea præcisè transmutantur extrema, nulla alia facta variatione. Unde ab una propositione ad aliam est mutua cōsequentia. Convertuntur simpliciter universalis negativa, & particularis affirmativa sub qua intellige indefinitā, & singularem. Cōversio per accidens est *conversio unius propositionis in alteram, variata quantitate*, ut: *omnis homo est animal*: ergo *aliquod animal est homo*. Dicitur conversio ista *per accidens*, quia variatur in ea accidens propositionis, quod est quantitas: hæc conversio mutua consequentia non est, quia è convertente ad conversam non valet: non enim sequitur, *aliquod animal est homo*: ergo *omnis homo est animal*. Convertuntur per accidens universalis affirmativa, & universalis negativa.

129. Conversio per contrapositionem est *conversio unius propositionis in alteram servata eadem quantitate, & mutatis terminis finitis in infinitos,*



tos, ut *omnis homo est albus*: ergo *omne non album est non homo*. Convertuntur per contrapositionem universalis affirmativa, & particularis negativa. In hac conversione est mutua consequentia à conversa ad convertentem, & è converso. Fundatur hæc conversio in duabus regulis traditis ab Arist. 2. per Hieron. quarum prima est: *ab affirmativa ad negativam variato predicato penès finitum, & infinitum est bona consequentia*, ut bene valet, *homo est albus*: ergo *homo non est non albus*. Ratio est, quia alias duo termini contradictorii verificarentur de eodem. 2. regul. *A negativa ad affirmativam cum constantia subiecti variato predicato penès finitum, & infinitum est bona consequentia*, ut bene valet: *homo non est albus, & homo est*: ergo *homo est non albus*. Et ratio est, nam alias duo termini contradictorii falsificarentur de eodem; & dicitur debere poni constantiam subiecti, quia sine illa, & casu, quo nullus esset homo antecedens esset verum, & consequens falsum: Prædictæ regulæ tenent dummodo appellatio non varietur, vnde non valet, *homo essentialitèr non est albus*: ergo *essentialitèr est non albus*. Quia homini nec albedo, nec negatio albedinis convenit essentialitèr.

130. Hinc probatur, universalem affirmativam converti per contrapositionem, nam bene sequitur per primam regulam: *omnis homo est*  
est

*est albus: ergo omnis homo non est non albus; & per conversionem simplicem: Omnis homo non est non albus: ergo omne non album non est homo. Rur-*  
*tus per secundam regulam: omne non album non est*  
*homo, & non album est: ergo omne non album est non*  
*homo: ergo de primo ad ultimum benè valet. Om-*  
*nis homo est albus: ergo omne non album est non homo.*

131. Deinde probatur particularem negativam converti per contrapositionem. Nam benè valet per secundam regulam: *homo non est albus, & homo est: ergo homo est non albus: & per conversionem simplicem: homo est non albus: ergo non album est homo: rursus per primam regulam, non album est homo: ergo non album non est non homo. Ergo de primo ad ultimum benè valet, homo non est albus: ergo non album non est non homo; non quidem absolute, sed supposita constantia subiecti, quia sine illa, casu, quo nullus esset homo, & aliqua essent non alba, antecedens esset verum, & consequens falsum, scilicet, non album non est non homo: quia tunc contradictoria, scilicet, omne non album est non homo: esset vera, quia benè valet per 2. regulam: Omne non album non est homo, & non album est: ergo omne non album est non homo: antecedens autem est verum, quia eius contradictoria, scilicet, aliquod non album est homo, est falsa; cum in suppositione facta nullus sit homo.*

132. Ut autem prædicta memoriæ com-

mendentur, circumferuntur hi versus.

*Simplicitèr feci convertitur Eva per acci.*


*Asto per contra, & sic fit conversio tota.*

In eis significant propositiones convertendas quatuor illæ vocales repertæ in dictionibus *feci, Eva, esto*, quarum, *A*, significat universalem affirmativam, *E* universalem negativam, *I*, particularem affirmativam, *O*, particularem negativam: vndè versus.

*Asserit, A negat, E. sunt universalitèr ambo.*

*Asserit, I negat, O. sunt particularitèr ambo.*

Igitur sensus priorum terminorum est *simplicitèr feci*, id est, convertuntur simplicitèr universalis negativa, & particularis affirmativa, quæ per ly *feci* exprimuntur: convertitur, *Eva per acci*, id est, per accidens convertuntur; universalis affirmativa, & universalis negativa, quæ per ly *Eva* significantur: *Asto per contra*, id est, universalis affirmativa, & particularis negativa, quæ per ly *asto* significantur, convertuntur per contrapositionem.



## CAPVT XIX.

## De Modalibus.

133. **N**on modica occurrit difficultas in assignanda equipollentia, oppositione, & conversione, propositionum modalium; proinde de eis specialis instituitur consideratio; propositio modalis dicitur à modo: modus est: *adiacens rei determinatio*, vel est terminus alterum restringens, & determinans, ut in hac propositione: *Petrus velociter currit*, velocitas est modus cursus, quia illum determinat, & restringit, ut stet non pro quocumque cursu; sed pro veloci: modus est triplex: alias determinat extrema, ut *homo doctus doctè disputat* ubi *doctus* determinat subiectum, & *doctè* predicatum alius determinat tempus, quod verbum connotat, ut *Petrus heri diu disputavit*: ubi *heri*, & *diu* determinant tempus, in quo actio disputandi significatur exercita; alius determinat compositionem, quã verbum connotat, ut in ista propositione: *Petrus necessa id est animal*, in qua non enuntiatur simpliciter predicatum de subiecto, sed denotatur modus, quo predicatum convenit subiecto, duò priores modi non sunt presentis speculationis, quia non extraunt propositionem à ratione propositionis de in esse, ita ut alijs re-  
gu-

gulis æquipollentiæ, & oppositionis indigeant: Modi determinantes oppositionem sunt sex: *necessarium, possibile, impossibile, contingens, verum, & falsum*; sed *verum, & falsum* non sunt modi, de quibus agimus in præsentia, quia nil addunt supra simplicem enuntiationem; idem enim est dicere, *Petrus disputat, ac verè disputat, & non disputat, ac falsum est illum disputare*. Undè nec mutant modum æquipollentiæ, & oppositionis.

134. His ita constitutis, propositio categorica dividitur in propositione *modalem, & de in esse*, modalis est, quæ includit modum determinantem convenientiam prædicati ad subiectum ut *homo contingenter disputat*. propositio de in esse, quæ absolute significat convenientiam prædicati ad subiectum, ut *homo est albus*. Aliter etiam solet accipi propositio de in esse, ut scilicet opponitur propositionibus de extrinseco tempore, id est, propositionibus de præterito, & de futuro, qua ratione propositio de in esse idem est, ac propositio de præsentia. Erit igitur propositio modalis propriè dicta, quæ afficitur aliquo ex his modis, *possibile, contingens, impossibile, necesse*, qui licet sint quatuor quoad apparienciã vocum, ex parte rei significatæ sunt tres; nam contingens non accipitur rigurosè, prout significat id, quod potest esse, & non esse, sed tale prout est idem, ac possibile.

135. Prædicti modi possunt in propositione constitui, ut nomen substantivum, ut adiectivum, & ut adverbium; ut reddant propositionem modalem, requiritur, quod constituentur in propositione, ut substantivum vel ut adverbium, & non sufficit, quod per modum adiectivi in ea collocentur: unde ista non est modalis: *Deus est ens necessarium*: sunt autem modales: *Petrus possibiliter disputat. Petrum disputare est possibile*: quia in prima ly *necessarium* adiectivè solum determinat prædicatum, in secunda verò, & tertia possibile, & possibiliter determinat compositionem; nam significant modum, quo prædicatum convenit subiecto. Ex quo inferes, quod omnis modalis vera est necessaria, & omnis falsa est impossibilis: quia licet prædicatum possit convenire subiecto contingentè; modus tamen conveniendi, vel est de essentia subiecti, vel illi repugnat.

136. Dividitur propositio modalis in *compositam*; & *divisam* composita est, in qua dictum subiicitur, & modus prædicatur, v. gr. *Petrum currere est possibile*: dictum est oratio composita ex infinitivo, & accusativo, ut *Petrum disputare*. Divisa est, in qua modus adverbialiter sumptus fertur in copulam: ut *homo possibiliter disputat*, ad quam reducitur propositio *homo potest disputare*,

re, quæ licet aparenter sit de in esse, æquivalet huic: *Petrus possibiliter disputat.*

137 Prima dicitur modalis composita, quia denotat possibilem esse compositionem extremorum idest, quod eidem simul conveniant, ut *album esse nigrum est possibile*, denotat possibile esse, ut idem simul sit album, & nigrum: secunda dicitur modalis divisa, quia denotat, quod rei, cui potest convenire subiectum, potest convenire prædicatum saltè pro diversis temporibus, ut *album possibiliter est nigrum* denotat, quod res, quæ est alba potest aliquando esse nigra. Undè una dicitur divisa; quia dividit tempora; altera composita, quia coniungit illa.

(S.)

*Nonnulla ex dictis inferuntur:*

138. **E**X hac differentia colliges primo, Modalem compositam facere sensum compositum, & divisam sensum divisum. Facere sensum compositum, nil aliud est, quam propositionem significare potentiam ad coniungendum pro eodem tempore formas significatas per subiectum, & prædicatum: quare si subiectum, & prædicatum significant formas incompensabiles, modalis composita erit falsa: ut *peccatorem esse beatum, est*

*possibile*. Facere sensum divinum, est propositionem significare potentiam ad habendum formas absolute, id est non determinando, quod habendæ sint pro eodem tempore, sed vel pro eodem, vel pro diverso: quare licet subiectum, & prædicatum significant formas in composibiles, potest modalis divisa esse vero: vnde hæc est vera: *peccator potest esse beatus*.

139. Alijs terminis solet hæc doctrina significari, dicendo, quod modalis composita affirmat potentiam simultatis, id est, potentiam ad simultatem unius formæ cum alia: divisa verò significat simultatem potentia, id est compositionem potentia ad unum actum cum altero actu quantumvis opposito: vnde hæc propositio est falsa: *Premotum efficaciter à Deo ad consensum, est possibile dissentire*: sed hæc est vera: *premotus efficaciter à Deo potest dissentire*: quia in prima denotatur potentia simultatis; quæ implicatoria est; in secunda denotatur simultas potentia, quam minimè dissentimur.

140. Colliges secundo, differre præterea compositam, & divisam in eo, quod composita est immediate reducibilis ad suam officiantem, non verò divisa, id est à composita, ut iacet ad suam officiantem, & è converso, est mutua consequentia; secus verò à divisa, nisi prius resolvatur ratione subiecti. Officiās est



est propositio, in qua modus prædicatur de propositione inclusa in dicto, ut officians huius modalis: *Petrum disputare, est possibile, est ista: Petrus disputat, est possibilis propositio.* Unde bene valet: *Album esse nigrum est possibile: ergo album est nigrum est propositio possibilis, & è converso, album est nigrum, est propositio possibilis: ergo album esse nigrum, est possibile: sed non valet, album possibiliter est nigrum: ergo album est nigrum est propositio possibilis: debet ergo, ut resolvatur in suam officiantem, resolvi prius ratione subiecti per descensum, dicendo: Hoc est album, & hoc possibiliter est nigrum, vel illud est album, & illud possibiliter est nigrum, & tunc poterit resolvi ratione modi, dicendo hoc possibiliter est nigrum: ergo hoc est nigrum est propositio possibilis.*

141. Colliges tertio è composita de ly possibili ad divisam esse optimam consequentiam, non tamen à divisam ad compositam: quia in primò casu arguitur virtualiter à parte ad disiunctivam, idest ab esse simul ad esse simul, vel successive; in secunda verò arguitur à disiunctiva ad partem; quia arguitur ab esse simul, vel successive ad esse simul determinatè. Similiter à composita de impossibili ad divisam non valet consequentia; valet tamen è contra, à divisam de impossibili ad compositam. Unde non valet: *album esse nigrum est*

*impossibile : ergo album impossibilitèr est nigrum ; bene tamen è contra : ratio est : quia in prima arguitur virtualitèr à parte ad copulativam, idest, à non esse simul, ad non esse simul, nec Successivè ; in secūda verò à copulativa ad partem : à composita verò de necesse ad divisam, & è contra, est mutua consequentia, quia non minus requiritur ad veritatem vnius, quam ad veritatem alterius ; vndè benè sequitur : Rationale esse risibile est necessarium : ergo rationale necessariò est risibile, & è conuerso, rationale necessariò est risibile : ergo rationale esse risibile, est necessarium.*

142. Colliges quarto. Quòd à propositionibus modalibus de necesse, & impossibili valet consequentia ad propositiones de in esse inclusas in dicto ipsarum, sed non è conuerso, à propositionibus de in esse ad modales. Vndè benè valet, *Petrum esse hominem est necesse : ergo Petrus est homo. Petrum esse lapidem est impossibile. ergo Petrus non est lapis, sed non valet : Petrus est albus : ergo Petrum esse album est necesse, nec Petrus non est albus : ergo Petrum esse album, est impossibile. Cæterum à modali de possibili, vel de ly contingens ad suam de in esse non valet consequentia ; valet tamen è conuerso, vt non valet : Petrum esse album, est possibile : ergo Petrus est albus, sed valet è contra : Petrus est albus : ergo Petrum esse album est possibile.*

CAPVT XX.

De Equipollentia, & oppositione modalium.

143. **D**ifficultas in assignando oppositionem, & equipollentiam propositionum modalium oritur ex multiplici quantitate, & qualitate illarum: concurret enim sæpè in modalibus duplex quantitas vna subiecti dicti, altera modi: similiter, & duplex qualitas, vna dicti, altera modi: & quia quantitas totius dicti, quod est veluti subiectum totale, & principale modalis, & affirmatio, & negatio copulæ principalis proveniunt à qualitate modi, ideo ad cognoscendam quantitatem, & qualitatem modalium modus præcipuè est attendendus.

Idque obtinebis, si notaveris primò sequentem versum:

*Omne necessarium valet: impossibile nullum.*

*Possibile, quidam: quidam non possibile non.*

144. Vbi denotatur, quod *necessarium* equivalet signo *omnis*, & est modus universalis affirmativus distribuens, & ampliatus subiectum propositionis modalis non ad plura significata, sed ad plures differentias temporis: quia quod necessarium est esse, semper

est: *impossibile* æquibaleet signo *nullus*. & est modus vniversalis negatiuus: *possibile*, vel *contingens* æquibaleet signo *quidam*; & est modus particularis affirmatiuus: *possibile non*, vel *contingens non* æquibaleet signo *quidam non*: vnde *neceſſe* conſtituit modalem vniverſalem affirmatiuam, *impoſſibile* vniverſalem negatiuã *poſſibile* particularem affirmatiuam: *poſſibile non* vel *contingens non*, particularem negatiuam, *Secundò* nota, quod licet aliquando modus formaliter ſequatur dictum, ſemper tamen aliud virtualiter præcedit, vt in hac propoſitione, *hominem currere, eſt impoſſibile*, in qua ly *impoſſibile* virtualiter præcedit, non aliter, ac ſi diceres, *impoſſibile eſt hominem currere*, vnde reddit illam vniverſalem, & negatiuam.

145. Nota tertio: illam modalem eſſe vniverſalem, quæ modum vniverſalem involvit, etſi ſubiectum dicti vniverſale non ſit, vt hæc eſt vniverſalis: *hominem diſputare, eſt neceſſarium*: & ratio eſt, quia ſubiectum dicti eſt pars extremi, & quantitas propoſitionis ſolum attenditur penes ſubiectum principale, vt videre eſt in hac propoſitione: *Petrus qui eſt omnis homo diſputat*, quæ ſingularis eſt, licet in illa aliquid, quod eſt pars extremi, ſit diſtributum. Conſequentè dices, illam modalem eſſe affirmatiuam, quæ includit modum affirmatiuum, etiam ſi dictum ſit negatiuum, quia

quia qualitas propositionis desumitur à copula principali, & affirmatio, vel negatio modi fertur in copulam principalem; vnde hæc est affirmativa, *Petrum non currere, est possibile.*

146. Hinc sequitur: opponi contrariè propositiones de *necesse* propositionibus de *possibili non*, & propositiones de *possibili* propositionibus de *impossibili*: opponi autem contrariè inter se propositiones de *impossibili*, & propositiones de *necesse*. propositiones verò de *possibili*, & *possibili non*, opponi subcontrariè; fieri autem æquipollentes inter se præposita, aut postposita negatione iuxta dicta supra cap. 17. Vnde sicut *nullus non*, valet *omnis*, ita *impossibile non*, valet idem ac *necesse*, & sic de reliquis: itaque contradictoriam invenies, si data propositione modali, ipsius modo præponas negationem, v. gr. contradictoria huius propositionis: *Possibile est, Petrum loqui*, erit hæc: *non est possibile Petrum loqui*. Invenies contrariam, si modo universaliter postponas negationem, ut contraria istius: *Necesse est Petrum currere* est ista, *necesse est Petrum non currere*, & contraria istius *non possibile est, Petrum currere*, est ista, *non possibile est Petrum non currere*.

147. Invenies subcontrariam, si modo particulariter postponas negationem: vnde subcontraria istius, *non necesse est, Petrum currere*

est ista, *non necesse est Petrum non currere*, sed non sunt æquipollentes; duæ modales oppositæ eiusdem modi per illam regulam *præ contradic*, quia præposita, vel postposita negatione secundum regulam, resultabit, vel inepta negationis repetitio, vel eadem formalitèr propositio cum altera, ut si velis has contradictorias, *Petrum currere, non est possibile; Petrum currere est possibile*, reddere æquipollentes, præponendo secundum regulam negationem dices in prima, *non, non est possibile Petrum currere*, quod est inepta repetitio negationis vel in secunda, *Petrum currere non est possibile*, quod est repetere primam propositionem,

148. Sed ut in promptu sit incipientibus assignare unicuique modalis propositiones oppositas, invenerunt Dialectici has quatuor dictiones: *Purpurea, Iliace, Amabimus Edentuli*, quarum nulla vocalis vacat mysterio: illud exprimit hic versus. *E dictum negat. I que modum A, nihil, sed V tetum.* Vocales, ex quibus constant sunt A, E, I, V: denotat A, propositionem modalem in illa syllaba collocandam debere esse affirmativam de dicto, & modo: E debere esse negativam de dicto, & affirmativam de modo. I negativam de modo, & affirmativam de dicto V negativam de dicto, & modo: cum ergo in qualibet dictione  
 sim;

sint quatuor syllabæ, quatuor sunt in eis pro-  
positiones constituendæ, prima de possibili, se-  
cunda de contingens, tertia de impossibili, quarta  
de necesse. Undè versus: possibile, contingens, im-  
possibile, necesse.

149. Quibus præjactis, deprehendes pri-  
mò, propositiones de *Amabimus*, esse contra-  
dictorias his, quæ sunt in *Iliace*, & proposicio-  
nes de *Edentuli* his, quæ sunt in *Purpurea*. Se-  
cundò propositiones de *Purpurea*, & *Iliace*, esse  
inter se contrarias. Tertiò, propositiones de  
*Amabimus*, & *Edentuli* esse inter se subcontra-  
rias. Quartò: quatuor propositiones simul in  
vnaquaque dictione constitutas, esse invicem  
æquipollentes. Denique, propositiones, quæ  
sunt in *Amabimus* subalternari his, quæ sunt in  
*Purpurea*: & quæ sunt in *Edentuli*, his quæ sunt  
in *Iliace*: quod ut præ oculis habeas,  
proponitur tibi sequens  
figura.



1. Dictio.

2. Dictio.

Pur. Petru non loqui non est possibile.

I Petrum loqui no est possibile.

Pu Petrum non loqui non est contingens.

Li Petrum loqui non est contingens.

Re. Petru non loqui est impossibile.

A. Petrum loqui est impossibile.

A. Petrum loqui est necesse.

Ce. Petrum no loqui est necesse.

Aquipollentes.

Aquipollentes.

Contraria.

Contradictoria.

Sub contraria.

Subalterna.

Subalterna.

3. Dictio.

4. Dictio.

A. Petrum loqui est possibile.

E. Petrum non loqui est possibile.

Ma Petrum loqui est contingens.

Den. Petrum non loqui est contingens.

Bi Petrum loqui non est impossibile.

Tu. Petrum no loqui non est impossibile.

Mis Petru non loqui non est necesse.

Li. Petrum loqui non est necesse. §.

Aquipollentes.

Aquipollentes.



## §. I.

*Oppositio, & equipollentia modalium, quarum dictum est de termino communi.*

150. **E**gimus hucusque de modalibus, in quibus subiectum dicti est terminus singularis; restat, ut agamus de modalibus, in quibus subiectum dicti est terminus communis; pro quarum oppositione, & equipollentia dignoscendis, observanda sunt quæ monuimus circa modales de termino singulari: & insuper præ oculis habendum est primo, quod in contradictorijs debet servari idem dictum in eisdem modis, ut si in *purpurea* dixisti: *neesse est, omnem hominem loqui contra dices in Edentuli* dicendo, *non est neesse, omnem hominem loqui*: si tamen dixisti, *neesse est aliquem hominem loqui*, contradices dicendo, *non neesse est, aliquem hominem loqui*: vnde secundo est advertendum in contrarijs, & subalternis eiusdem modi, dictum debere variari, ita ut, si in vna sit universale, in altera sit particulare, & è converso. Tertio advertite, quod, ut propositiones diversi modi, sed eiusdem dictionis fiant equipollentes, requiritur, quod in tribus primis servetur eadem quantitas dicti, & quod mutetur in ultima de

de necesse. Vnde, si dictum aliarum trium fuerit universale, dictum de necesse erit particulare, & è converso.

151. Ratio horum est, quia cum modus formalitèr, vel virtualitèr semper præcedat dictum, & sepè modus sit negativus, ac proindè destruens quantitatem dicti, quam post se invenit, potest dictum esse apparentèr universale, & in re particulare: *tunc sic*: ut salvetur oppositio inter modales, debet in re, & non solum apparenter servari in eis quantitas, quam statuimus servandam supra cap. 16. agentes de conditionibus cuiusvis oppositionis; ac si res disponatur iuxta præsentès regulas, servatur quantitas, quam singulæ species oppositionis desiderant, non solum apparenter, sed in re: ergo regulæ sunt bene assignatæ. Minorem ad oculum demonstrabit subiectum exemplar, si attentè illud perpendas.



1. Dictio.

2. Dictio.

Equipollentes.

Pur. Hominē non lo-  
qui nō est possibile.  
Pu. Hominē non lo-  
qui nō est cōtingēs.  
Re. hominē non lo-  
qui est impossibile.  
A Omnē hominem  
loqui est necesse.

Equipollentes.

I Omnē hominē lo-  
qui non est possibile.  
Li. Omnē hominē lo-  
qui nō est contingēs.  
A Omnē hominē lo-  
qui est impossibile.  
Ce Hominem nō lo-  
qui est necesse.

Contrariae.

Contradictoriae.

Subalternae.

Subalternae.

Subcontrariae.

3. Dictio.

4. Dictio.

Equipollentes.

A Omnē hominē lo-  
qui est possibile.  
Ma Omnē hominē  
loqui est contingēs.  
Bi Omnē hominē lo-  
qui nō est impossibile.  
Mus. Hominē nō lo-  
qui nō est necesse.

Equipollentes.

E. Hominem nō lo-  
qui est possibile.  
Den. Hominē nō lo-  
qui est contingens.  
Tu Hominē nō loqui  
non est impossibile.  
Li. Omnē hominē lo-  
qui nō est necesse.

## De Modalibus divisis.

152. **C**irca modales divisas notandum est primo, quod divisas de termino singulari, cum solum sit universalitas, vel particularitas modi, solum requiritur ut cognoscatur earum oppositio, & æquipolentia, quod constituatur iuxta dispositionem rotuli, in quo constitutus modales compositas. Notandum est secundo, quod in modalibus divisas de termino communi, modus, licet apparenter possit præcedere, vel subsequi, tamen quoad sensum semper mediat inter partes dicti: ut *homo est albus possibiliter*: æquivaleret isti, *homo potest esse albus*: unde licet includat negationem non mutat quantitatem subiecti propositionis.

135. Pro divisas igitur de termino communi sit prima regula. Pro contradictorijs, præter dispositionem eorum in rotulis contradictorijs, debet in eis quantitas mutari, ut in illis, *nullus homo possibiliter non currit*: *aliquis homo possibiliter non currit*. Secunda regula pro contrarijs, præter dispositionem in rotulis contrarijs, cavendum est, ne maneat eadem particularitas subiecti in utraque, ut iste sunt contrariæ: *nullus homo impossibilitèr currit*, *omnis homo impossibilitèr currit*. Tertia pro subcontrarijs cavendum est, ne in utraque ma-

neat

neat eadem universalitas subiecti, ut ista sunt  
 sub contrariis: *aliquis homo necessarid currit, ali-*  
*quis homo non necessarid currit.* Quarta regula  
 pro æquippolentijs, præter dispositionem  
 rotuli, in omnibus quatuor debet servari ea-  
 dem quantitas dicti; unde sunt ista æquipola-  
 lentes in purpurea, *omnis homo non possibiliter*  
*non currit, omnis homo non contingenter non currit;*  
*omnis homo impossibilem non currit: omnis homo*  
*necessario currit.* Quinta si in aliquibus divisis  
 maneat eadem quantitas dicti, & modi, erunt  
 disparatae, ut *homo possibiliter currit, homo possibi-*  
*liter non currit.*

154. Propositiones modales convertun-  
 tur ratione dicti, & non ratione modi. Un-  
 de servandæ sunt in eis regulæ supra traditæ  
 de conversione propositionum de in esse,  
 ut scilicet universalis negativa, & particula-  
 ris affirmativa, simpliciter: affirmativa, & ne-  
 gativa universales per accidens convertuntur;  
 unde ista modalis, *necesse est aliquem hominem esse*  
*animal*, convertitur in hanc, *necesse est aliquod*  
*animal esse hominem*: sed cum conversio sit con-  
 sequentia formalis, animadvertite, num ser-  
 ventur proprietates Logicales, ut eadem  
 restrictio, idemque genus suppositionis, quas  
 si diligenter examinaveris, plures in conver-  
 sione modalium defectus cavebis. Etenim  
 ideò non valet, *possibile est aliquod corpus non*

*esse album: ergo possibile est, aliquod album non esse corpus, quia variatur suppositio accidentalis in naturalem: nam album est corpus est in materia naturali: ista verò corpus est album, est in materia contingenti: in prima verbum restringit extrema ad tempus præsens, in secunda ampliat illa usque ad possible. Undè arguitur a non amplo ad amplum negativè cum distributione.*

2155. Ideò similiter non valet ista conversio: *impossible est, omne animal esse hominem: ergo impossibile, est, aliquem hominem esse animal, quia regula conversionis petit, ut propositio convertenda per accidens, sit universalis negativa, & quod illius convertens sit particularis negativa, & in præsentibus contrario modo se habent, quia conversa in re est particularis ratione modi destruentis quantitatem dicti, convertens verò est universalis ratione modi negativi, qui præcedit, & patet; nam, ut videre est in rotulo, primo scilicet, *impossible est, omne animal esse hominem, & necesse est aliquod animal esse hominem, sunt æquipollentes; sed in ita dictum est in re particulare ergo, & in illa. Deinde, impossible est, aliquod animal esse hominem, & necesse est, nullum animal esse hominem, sunt æquipollentes; sed in ita, dictum est in se universale: ergo, & in illa.**

159. Meminimus supra duplicis propositionis

nis categoricæ, quarum altera dicitur de inesse, id est, de præsentī, altera de extrinseco tempore, scilicet de præterito, vel futuro, circa quas adverte, propositiones de extrinseco tempore reduci ad suã de inesse per officiantem, in qua enuntiatur talis differentia temporis de propositione de inesse, ut hæc: *Petrus fuit albus*, reducitur dicendo, *hæc propositio: Petrus est albus, fuit vera*: aliquando tamen non reducitur immediatè, sed media alia priori resolutione, ut *album fuit nigrum* resolvitur prius dicendo, *hoc est, vel fuit album, & hoc fuit nigrum*, & postea reducitur sub hac forma: *hæc propositio: hoc est nigrum, fuit vera.*

## CAPUT XXI

## De Hypotheticis.

¶ 57. **H**AËTENUS tradimus ea, quæ ad explicandam naturam, & proprietates propositionis categoricæ necessaria censuimus; revertimur iam ad indagandam essentiam, & affectiones alterius speciei ipsi condivisæ, scilicet, hypotheticæ. Propositio hypothetica, ut supra præmissimus c. 7. est, quæ habet duas categoricas coniunctas tanquam partes principales sui, ut *Petrus disputat, & Paulus loquitur*; & est quintuplex conditionalis, rationalis, cau-

*salis, copulativa, & disiunctiva. Conditionalis est, cuius partes copulantur per ly si, ut si homo volat, habet alas. Rationalis, cuius partes copulantur per ly ergo: ut: homo est rationalis, ergo est risibilis. Causalis, cuius partes coniunguntur per ly, quia, ut: quia homo est intellectivus, & est volitivus. Copulativa: cuius partes coniunguntur per ly, & ut: Petrus, currit, & Paulus sedet. Disiunctiva, cuius partes coniunguntur per ly, vel, ut: Petrus loquitur, vel Paulus tacet. Ad copulativam reducuntur temporales, quarum partes coniunguntur adverbio temporis, ut Petrus docet, dum Paulus disputat.*

158. Sed adverte primò, quod prædictæ particulae, si vè copulae aliquando coniungunt terminos, aliquando propositiones. Cum coniungunt propositiones, constituunt propositionem hypotheticam, cum verò terminos coniungunt, constituunt cathedricas de complexo extremo. Vnde ista propositio: *homo, si est rationalis, est risibilis*, est de condionato extremo: at ista, *si homo currit, movetur*, est conditionalis; & ista, *terra, aer, & aqua sunt elementa*, est de extremo copulato, ista verò, *terra est gravis, & aer est levis*, est copulativa: pariter ista, *hic equus, vel ille equus requiritur ad equitandum*, est de disiuncto extremo, & in ea ly vel sumitur disiunctim, & ista: *Petrus currit, vel homo quiescit*, est disiunctiva, & his similes  
inve.



invenies rationales, & de rationali extremo; causales, & de causali extremo.

156. Secundò advertè, prædictas hypotheticas alias esse simplices, & alias compositas: simplices sunt, quæ ex duabus tantum constant categoricis, ut *Petrus currit, & Paulus disputat*; compositæ, quæ ex pluribus hypotheticis constant, ut: *si quia homo est rationalis, est risibilis; homo est rationalis, & risibilis*: hæc propositiones cognoscuntur, quæ sunt, ex copula principali, idest, ex particula coniungente partes proximas totius propositionis: dices ergo prædictam hypotheticam non esse causalem, nec copulativam, sed conditionalem.

160. Propositio conditionalis dividitur in *illativam, promissivam, & conjunctivam*, ratione copulæ, quæ potest accipi illativè, promissivè, & concomitanter. *Illativa* est, in qua particula *si* denotat illationem unius ex alio, ut: *si Sol lucet, dies est*. *Promissiva* est, in qua aliquid sub conditione promittitur, ut: *si videris, coronabo te*, ad cuius veritatem sufficit constans propositum adimplendi, quod si defectu potestatis post purificatam conditionalem, non adimpleas, erit falsa enunciatio de futuro, sed vera promissio. *Conjunctiva* est, in qua particula *si* solum denotat concomitantiam, & simultaneam existentiam unius cum

alio; ac hæc proprie loquendo, non est conditionalis, sed potius copulativa, & per leges copulativæ in omnibus regulanda: omissis igitur promissiva, & conjunctiva, solum agimus in præsentia de illativa:

161. Ad veritatem conditionalis illativæ sufficit, & requiritur, quod consequentia sit bona. Ratio est, quia conditionalis solum affirmat illationem. Unde ista conditionalis est vera: *Si homo volat, habet alas*, quia licet utraque pars sit falsa, consequentia tamen est bona: quare rectè dicitur, quod conditionalis nihil ponit in esse, idest, neutram suarum partium asserit esse, vel non esse. Partes conditionalis dicuntur antecedens, & consequens: circa quæ nota, quod in conditionali, & causaliantecedens est illa propositio, cui immediate præficitur particula, *si* vel *quin*: in rationali verò antecedens est propositio, quæ antecedit particulam *ergo*: unde in hac propositione, *homo habet alas, si volat* *Volat* est antecedens, licet secundo loco proferatur.

162. Ad veritatem propositionis rationalis requiritur, quod antecedens sit verum, & sit bona consequentia, & quia in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens quoque debet esse verum, sequitur, quod etiam consequens debeat esse verum: unde rationalis illa non est vera: *homo est equus*:

*ergo est vivens, quia antecedens est falsum; nec ista, homo est substantia: ergo est vivens, quia consequentia est mala.*

163. Ad veritatem causalis requiritur, quod consequentia sit bona, antecedens sit verum; & sit causa consequentis: unde hæc est falsa, *quia homo est risibilis, est rationalis.* cum antecedens non sit causa consequentis, & similiter quæcumque alia causalis, si altero ex prædictis requisitis sit destituta: Hinc sequitur primo, à causali affirmativa ad rationalem, & à rationali ad conditionalem ex eisdem terminis: optimam esse consequentiam: quia in hoc modo arguendi plus requiritur ad veritatem antecedentis, quam ad veritatem consequentis, sed è converso, à conditionali ad rationalem, non valet, nec à rationali ad causalem, quia in hoc processu plus requiritur ad veritatem consequentis, quam ad veritatem antecedentis: unde benè valet: *quia est rationale, est risibile: ergo est rationale, & sequitur, quod sit risibile; & rursus: ergo si est rationale est risibile.*

164. Sequitur secundò in vi eiusdem rationis, à rationali, & causali ad quamlibet suarum partium esse bonam consequentiam: unde benè valet, *est homo: ergo est rationalis: ergo est homo. Quia homo est rationalis, est risibilis: ergo est risibilis.*

165. Ad veritatem copulativæ requiritur, quod omnes illius partes sint veræ: quod intellige de partibus proximis, non de remotis: ad falsitatem sufficit, quod aliqua pars sit falsa: ad necessitatem requiritur, quod utraque pars sit necessaria: ad impossibilitatē sufficit, quod una pars sit impossibilis, vel utraque incompossibilis: ad contingentiam sufficit, quod aliqua pars sit contingens: dummodo nulla sit eum altera incompossibilis; undè hæc est vera, & necessaria. *Homo est rationalis, & equus est binnibilis: & hæc impossibilis homo currit, & non currit: hæc autem contingens, Petrus currit, & Paulus disputat.*

166. Ad veritatem disiunctivæ sufficit, quod una pars sit vera; sed ad falsitatem requiritur, quod omnes partes sint falsæ, ad necessitatem sufficit, quod aliqua pars sit necessaria, vel utraque inter se incompossibilis: ad impossibilitatem requiritur, quod omnes partes sint impossibiles: ad contingentiam, quod aliqua pars sit contingens, dummodo non utraque sit inter se incompossibilis: undè hæc est vera, & necessaria. *Equus currit, vel equus non currit: & ista est falsa, & impossibilis, equus videt, vel equus discurret: ista verò contingens, equus currit, vel Petrus sedet.*

## §. I.

*De qualitate, & quantitate hypothetica.*

167. **Q**ualitatem conditionalis, rationalis, & causalis desumitur ex affirmatione, & negatione copulae adverbialis, certum est; unde istae sententiae affirmativae: *si homo non habet alas, non volat, quia equus non est rationalis non est risibilis* quia copula adverbialis in eis non negatur. Unde in earum contradictorijs non debet mutari qualitas partium, sed sola qualitas copulae, dicendo, *non si homo non habet alas, non volat: non quia equus non est rationalis non est risibilis*. In copulativis vero, & disiunctivis qualitas desumenda est non solum ex affirmatione, & negatione copulae adverbialis, quae vix potest congrue negari; sed etiam ex affirmatione, vel negatione propositionum illas componentium, ita ut si omnes propositiones componentes copulativam, & disiunctivam sint affirmativae, ipsa copulativa, & disiunctiva erunt affirmativae: si vero omnes fuerint negativae, copulativa, & disiunctiva erunt negativae. Unde ista disiunctiva, *aliquis homo currit, vel aliquis homo disputat*, est affirmativa; & ista copulativa, *nullus homo currit, & nullus homo disputat*, est negativa, & patet, quia sunt contradictoriae: ergo una est af-

firmativa, & altera negativa: si verò aliqua propositio ex componentibus sit affirmativa, & altera negativa, hypothetica erit formaliter mixtæ qualitatis, & erit insuper virtualiter affirmativa, si sit copulativa, & virtualiter negativa, si sit disiunctiva, iuxta dicta supra cap. 8. huius libri.

168. Circa quantitatem verò hypotheticæ in primis certum est, conditionalem, rationalem, & causalem non esse quantas: nam in contradictorijs earum, nulla fit mutatio quantitatis, ut patet in istis, *si homo volat, habet alas, non si homo volat, habet alas*, in quibus servatur eadem particularitas subiecti: ergo signum est illas non habere quantitatem, sed partes supponere immobiliter per modum termini singularis.

169. In copulativis verò, & disiunctivis reperitur duplex quantitas, vna propositionum, & e componentium, altera copulæ adverbialis, ita vt *ly &* sit universalitas, & *ly vel* particularitas, quod hac ratione convincitur: nam in contradictorijs, præter qualitatem, debet mutari universalitas propositionum componentium, in particularitatem, & *ly, &* in *vel*, ut cernitur in hac copulativa, *hominis homo disputat, & omnis homo currit*, cuius contradictoria est hæc disiunctiva: *aliquis homo non disputat, vel aliquis homo non currit*; ac in contra-

dic-

dictorijis præter qualitate sola quantitas mutat: ergo universalitas, & particularitas propositionum fin ul cum particulis &, ac vel reddunt quantas copulativas, & disiunctivas.

§. II.

*Loci arguendi in hypothecis.*

170. **L**oci arguendi in conditionalibus affirmativis sunt tres. Primus, à conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis, valet consequentia. E converso, à positione consequentis ad positionem antecedentis non valet: ponere antecedens est illud asserere affirmativè, vel negativè, ut erat in conditionali. Undè benè valet: *Si Sol lucet, dies est: Sed Sol lucet: ergo dies est: si dies non est, Sol non lucet: dies non est: ergo Sol non lucet.* Sed non valet: *si Sol lucet, dies est, sed dies est: ergo Sol lucet:* ratio primæ partis est, quia conditionalis vera est bona consequentia; sed in bona consequentia, si antecedens est verum, consequens est verum: ergo in conditionali à positione antecedentis benè valet ad positionem consequentis. Ratio secundæ partis, quia in bona consequentia potest antecedens esse falsum, & consequens verum: ergo ex positione consequentis non sequitur positio antecedentis.

171. Secundus locus: à conditionali cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis valet consequentia, non tamen è converso cum destructione antecedentis ad destructionem consequentis. Destruere antecedens, vel consequens est ponere contradictoriam illius, ut bene valet: *si Sol lucet, dies est, sed dies non est: ergo Sol non lucet.* Sed non valet: *si Sol lucet, dies est, sed Sol non lucet: ergo dies non est.* Ratio primæ partis est, quia destruere est falsificari, & in bona consequentia nequit falsificari consequens, quin antecedens falsificetur: ratio secundæ partis; quia in bona consequentia potest antecedens falsificari, & non falsificari consequens: ergo ex destructione illius non sequitur destructio istius.

172. Tertius locus, à conditionali ad disiunctivam constantem ex consequenti, & contradictorio antecedentis valet consequentia, ut bene valet: *si Petrus currit, movetur: ergo vel movetur, vel non currit;* quia in bona consequentia non stat antecedens verum, & consequens falsum: ergo vel antecedens non est verum, vel consequens est verum.

173. In copulativis est vnicus locus arguendi: à tota copulativa ad quamlibet partem determinatè valet consequentia, sed non è contra, ut *Petrus currit, & disputat ergo currit:* sed non valet, *currit ergo currit, & disputat, &*



ratio est, quia totum continet partem, sed non è contra. In disiunctivis duplex est locus arguendi. Primus, à qualibet parte determinata ad disiunctivam valet consequentia, sed non è contra, vt benè valet: *Petrus currit: ergo currit, vel disputat.* Sed non valet, *currit vel disputat, ergo currit.* Secundus locus: à disiunctiva cum destructione vnius partis ad positionem alterius valet consequentia, vt *Petrus currit, vel disputat, sed non currit: ergo disputat.* Adde potest alius locus arguendi à copulativa ad disiunctivam ex eisdè terminis, & non è contra, quia *ly vel*, cum sit particularitas, reddit disiunctivam subalternam copulativæ, in qua *ly &*, est universalitas. Undè benè valet: *Petrus currit, & disputat: ergo Petrus currit, vel disputat;* sed non valet: *currit, vel disputat: ergo currit, & disputat.*

## CAPUT XXII.

### De Exponibilibus.

174. **N**ON sine causa subiicimus post hypotheticam exponibiles. Nam exponibilis est virtualitèr hypothetica. Aliæ propositiones sunt exponibiles ratione rei significatæ, vt quæ constant verbis, *incipit, & desinit*, qua remittimus ad Physicos. Aliæ

Aliæ sunt exponibiles ratione modi significandi, & de istis agimus in præfati.

175. Propositio exponibilis est, quæ ratione alicuius dictionis, obscurum implicantis sensum, indiget expositione: ut *omne animal præter hominem: est irrationale*. Dividitur in tres species, in *exclusivam*, *exceptivam*, & *reduplicativam*. *Exclusiva* est, quæ modificatur dictione significante *exclusionem*, ut *tantum*, *precisè*, *duntaxat*, v. gr. *tantum homo est risibilis*. *Exceptiva*, quæ modificatur dictione significante *exceptionem*, ut *præter*, *nisi*, *exceptio*, v. gr. *omne ens, præter Deum, est creatum*. *Reduplicativa*, quæ modificatur dictione significante *causam convenientiæ prædicati ad subiectum*, ut *in quantum*, *quatenus*, *secundum quod*, *prout sic*, v. gr. *homo, in quantum rationalis, est risibilis*.

176. Pro quarum expositione nota primò; quod propositio exponibilis, ratione qualitatis dividitur in quatuor genera, scilicet in *purè affirmativam*, ut *tantum homo est risibilis*, *purè negativam*, ut *non tantum homo est risibilis*: ubi negatio in fronte propositionis præfixa, quidquid post se invenit, negat, modum scilicet, & verbum: in *affirmativam de modo*, & *negativam de verbo*, ut *tantum homo non est risibilis*, & in *negativam de modo*, & *affirmativam de verbo*, ut *non tantum homo non est risibilis*, ubi negatur modus, sed

verbum, quia duplici negatione afficitur, affirmatur: verum adverte, quod ut in exceptivis, & reduplicativis propositionem secundæ generis constituas, hoc est negativam de modo, & verbo, debes præmittere subiecto negationem adverbialem dicendo: *non omne animal, præter hominem, est irrationale, vel non omnis homo, in quantum rationalis, est risibilis*, eam si præponas subiecto negationem nominalem constituas propositionem tertij generis, scilicet, affirmativam de modo, & solum negativam de verbo, ut si dicas, *nullam animal præter hominem, est irrationale: nullus homo, in quantum rationalis, est risibilis*.

177. Nota secundò: propositiones primi generis exponi copulativè, & propositiones secundi generis disiunctivè modo contradictorio: rursus, propositiones tertij generis exponi copulativè, propositiones quarti generis disiunctivè modo contradictorio.

178. Nota tertio: propositionem præiacentem esse ipsammet exponibilem, ablato modo, ut si exponibilis erat, *tantum homo est risibilis*, illius præiacens erit, *homo est risibilis*. Quartò nota, in dictionibus statim subiungendis repetiri quatuor vocales, quarum *A.* denotat universalem affirmativam, *E.* universalem negativam, *I.* particularem affirma-

tivam, 'O, particularem negativam: quod est  
 propositio, cui littera correspondet, fuerit de  
 subiecto singulari, tunc servanda est in illa  
 non quantitas, sed sola qualitas significata per  
 litteram, ut si velis exponere hanc, *non tantum*  
*Petrus est albus*, quia præiacens: quæ corres-  
 pondet litteræ E. in dictione *regit*, est de sub-  
 iecto singulari, erit in ea servanda negatio,  
 quam petit littera, E. sed non quantitas, unde  
 dices: *Petrus non est albus*, & *aliquid aliud à Pe-*  
*tro est album*; ipsæ verò dictiones, sic ordinan-  
 tur, ut prima deserviat primo generi propo-  
 sitionum, scilicet, purè affirmativo. Secunda,  
 secundo, scilicet, generi negativo. Tertia,  
 tertio, scilicet affirmativo de modo, & nega-  
 tivo de verbo. Quarta, quarto, nempe nega-  
 tivo de modo, & affirmativo de dicto.

## §. I.

## De Exclufivis.

179. **I**gitur incipiendo ab exclusivisly  
*solum* potest se tenere ex parte  
 prædicatî, & sic facit propositionem de exclu-  
 so extremo, vñ si dicas, *Petrus est tantum*  
*Dialecticus*, & denotat, prædicatum con-  
 venire subiecto, & nihil aliud à prædicato  
 eidem convenire potest etiam ly *tantum* se-

tenere ex parte subiecti, & sic facit propositionem exclusivam, & denotat, prædicatum convenire subiecto, & alteri à subiecto non convenire, ut *tantum Petrus est Dialecticus*, quæ propositiones manifestè differunt, quia ab una ad aliam consequentia facta non tenent; nam casu, quo Petrus solus sit Dialecticus, & sit simul Philosophus, hæc est vera: *tantum Petrus est Dialecticus*, & hæc est falsa: *Petrus est tantum Dialecticus*; sed quia cognitæ expositione, & proprietatibus exclusivæ facillè quisque expositionis, & proprietatem propositionis de excluso extremo sibi notiores proprio studio comparabit; brevitatis causa solius exclusivæ expositionem prosequimur.

180. Propositio exclusiva exponitur per duas propositiones, quarum prima est præiacens, & secunda enuntiat prædicatum exclusivæ de alio distincto à subiecto; istæ duæ propositiones dicuntur exponentes, earumque quantitatem, & qualitatem designant quatuor hæc dictiones: *iste, regit, proram, clavis*, in quarum prima sic exemplificabis, idem facturus in reliquis, si notabilia præiacta mente retineas. Etenim prima dicitio *iste* deservit purè affirmativæ: purè affirmativa exponende est copulativè: prima vocalis, *I* denotat primam exponentem, scilicet præiacentem, esse

esse debere particularem affirmativam, secundam vocalis E. denotat secundam exponerem, scilicet, enuntiantem prædicatum de alio distincto à subiecto, debere esse universalem negativam: dices ergo in hunc modum, hæc propositio: *tantum homo est rationalis*, exponitur sic: *homo est rationalis: & nil aliud ad hominem est rationale*

## §. II.

## De Exceptivis.

181. **I**N exceptivis quadruplex reperitur terminus, particula excipiens, terminus, à quo fit exceptio, pars excepta, & terminus exceptus, ut in ista, *omne animal præter hominem est irrationale*, *ly præter* est particula excipiens, *animal* est terminus à quo fit exceptio, *ly hominem* est pars excepta, terminus verò exceptus est *irrationale*: propositio, itaque exceptiva exponitur per tres propositiones; in quarum prima de alio distincto à parte excepta dicitur prædicatum; in secunda de parte excepta dicitur terminus, à quo fit exceptio, in tertia de parte excepta dicitur terminus exceptus: istæ propositiones dicuntur exponentes, & earum quantitatem, ac qualitatem designant quatuor dictiones, scilicet; *lavare commoti*, *peccata*, *byssopo*. Quæ suo ordine, ut diximus, quatuor gene-

ribus exceptivatum deserviunt. Undè si exponere velis hanc secundi generis, *non omne animal præter hominem est irrationale*. Ductus per vocales dictiones commoti, dices in hunc modum disiunctivè, *aliquod animal aliud ab homine non est irrationale, vel aliquis homo non est animal, vel aliquis homo est irrationalis.*

§. I.

De Reduplicativis.

182. **C**irca reduplicativas nota: quod *ly in quantum*, sicut, & *prout*, *quatenus*, & alia similes possunt accipi *specificativè*, *diminutivè*, *restrictivè*, & *reduplicativè*: *specificativè*, quando *ly in quantum* designat, vel rationem, secundum quam subiectum est capax prædicati, vel conditionem, ratione cuius prædicatum convenit subiecto, non tamen causam sufficientem convenientiæ prædicati ad subiectum. Undè istæ sunt *specificativæ*, *Christus, in quantum homo, est passus: ignis, in quantum applicatus, comburitur*, quia in prima *ly in quantum*, non denotat causam passionis; sed rationem, vel naturam, ex qua Christo Domino inerat capacitas, ut pateret, & in secunda *ly in quantum* non denotat causam sufficientem; sed conditionem:

Sumitur *ly in quantum* diminutivè, quando denotat, subiecto convenire ratione partis prædicatum, quod ex se aptum est, ut conveniat toti, & partibus. Undè istæ sunt diminutivæ, *Ætiops est albus secundum dentes: Christus, secundum quod homo, est creatura*, quia albedo ex se potest convenire non solum dentibus, sed toti homini, & in prima propositione *ly in quantum* solum denotat convenire dentibus: similiter, ratio creaturæ indifferens est, ut conveniat, non solum naturæ, sed toti supposito, & in secunda propositione *ly in quantum* solum denotat convenire naturæ: hæc tamen propositio, *Petrus est crispus secundum capillos*; non est diminutiva, sed specificativa, quia crispitudo solum capillis, & tantum ratione ipsorum potest homini competere.

183. Sumitur *ly in quantum* restrictivè, quando designat aliquam partem subiectivam subiecti, secundum quam denotat illi convenire prædicatum, id est, quando denotat, prædicatum convenire non totali, sed alicui particulari significato contento sub subiecto: ut si dicas, *omne animal, in quantum rationale, est risibile*. Sumitur tandem reduplicativè *ly in quantum*, quando denotat causalem sufficientem convenientiæ prædicati ad subiectum, ut *omnis homo in quantum rationalis, est risibilis*: tunc solum *ly in quantum* constituit reduplicativam, quan.



quando accipitur reduplicativè. In ea nota quatuor terminos, scilicèt, subiectum, & prædicatum, dictionem reduplicantem, & terminum reduplicatum, ut in præfata propositione, *ly homo* est subiectum, *risibilis* prædicatum, *in quantum* est dictio reduplicans, & *rationalis* terminus reduplicatus. Propositio reduplicativa exponitur per quatuor propositiones, quarum prima est præiacens, in secunda dicitur de subiecto terminus reduplicatus, in tertia prædicatum dicitur de termino reduplicato, & quarta est causalis significans formam reduplicativam esse, vel non esse causam convenientiæ prædicati ad subiectum. Hæ dicuntur exponentes; earumque quantitatem, & qualitatem designant quatuor dictiones, nempe *ad amasti pro honore, de trahendo simoniam*: undè hæc reduplicativa: *Omni homo, in quantum rationalis, non est hinnibilis*, que est tertij generis, & respondet dictioni, *de trahendo*, exponitur copulativè sic: *omnis hominis homo non est hinnibilis, & omnis homo est rationalis, & nullum rationale est hinnibile, & quia aliquid est rationale non est hinnibile.*

## §. IV.

## Corolaria ex dictis.

184. **E**X dictis colliges primò circa ascensum, vel descensum exponibilium

quod subiectum exceptivæ non potest immediate resolvi per ascensum, vel descensum. Unde non potest dici: *omne animal, præter hominem, est irrationale: ergo hoc animal, præter hominem, est irrationale, & illud animal præter hominem, est irrationale*; nam ab hoc animali non potest excipi homo, cum in illo non contingat, sed debet prius tota exceptiva resolutione particulæ præter in suas exponentes, & tunc subiectum poterit resolvi per ascensum, vel descensum. *Exclusiva* quoque, si sit affirmativa, non potest resolvi per descensum. Unde non valet: *tantum homo est risibilis: ergo tantum Petrus est risibilis, vel tantum Paulus est risibilis*: sed potest immediate resolvi, si sit negativa. Unde valet: *non tantum homo est animal: ergo non tantum Petrus est animal, nec tantum Paulus est animal*. *Reduplicativa* verò, si sit affirmativa sit, si sit negativa, potest immediate resolvi, si quidpiam aliud non obstat: unde bene valet: *Omnis homo, in quantum rationalis, est risibilis: ergo hic homo, in quantum rationalis est risibilis, & ille in quantum rationalis est risibilis. Non omnis homo, in quantum rationalis, est risibilis: ergo non hic homo, in quantum rationalis, est risibilis, vel non ille homo, in quantum rationalis, est risibilis*: ubi sit resolutio disiunctivè: quia per quintam regulam suppositionis ly homo in reduplicativa supponit determinate.

185. Hic nota ad expositionem reduplicativæ non sufficere causalem, quia licet causalis, & exponibilis mutuò convertantur, tamen tres aliæ exponentes continentur in reduplicativa, & non potest reduplicativa convenienter exponi, nisi per eas, quas implicite continet, declaretur; quod si interdum prima, & secunda falsificantur, id contingit in restrictiva, nunquam in reduplicativa.

186. Colliges secundò: ad cognoscendum exponibilium oppositionem, recurrendum esse ad eorum exponentes; opponuntur enim inter se duæ exponibiles eo modo, quo exponentes unius opponuntur exponentibus alterius; ex quo fit, quod cum nec copulativa copulativæ, nec disiunctiva disiunctivæ possint contradicere ratione universalitatis de *ly* & in illis, & ratione particularitatis de *ly vel* in istis utrobique servatæ: ita nec exponibiles copulativè, quales sunt propositiones primi, & tertij generis, nec exponibiles disiunctivè, quales sunt propositiones secundi, & quarti generis sibi invicem contradicunt.

187. Colliges tertio tres locos arguendi in exponibilibus. Primus; à qualibet exponibili ad omnes exponentes, & è converso; ut si dicas: *tantum homo est rationalis: ergo homo est*

*rationalis, & nihil aliud ab homine est rationale:*  
*rursus, homo est rationalis, & nihil aliud ab homine*  
*est rationale: ergo tantum homo est rationalis. Se-*  
*cundus: ab exponibili copulative ad quamli-*  
*bet exponentium, non verò è contra, quia*  
*primum est arguere virtualitèr à copulativa*  
*ad partem, quæ est bona consequentia; se-*  
*cundum verò à parte ad copulativam, quæ*  
*est mala: ut omne animal, præter hominem, est*  
*irrationale: ergo omnis homo est animal; non ta-*  
*men valet è contra. Tertius: à qualibet ex-*  
*ponentium exponibilem disiunctivè ad ex-*  
*ponentium, non verò è contra; quia primum*  
*est arguere virtualitèr à parte ad disiuncti-*  
*vam, quæ est bona consequentia: secundum*  
*est arguere à disiunctiva ad partem, quæ est*  
*mala: vnde bene valet: Non omnis homo est al-*  
*bus: ergo non omnis homo, in quantum rationalis,*  
*est albus sed non valet: Non omnis homo, in*  
*quantum rationalis, est sensibilis:*  
*ergo non omnis homo est*  
*sensibilis.*



## LIBER TERTIUS.

*De his, quæ pertinentia ad tertiam operationem intellectus.*

I. **P**ERTINET ad tertiam operationem intellectus argumentatio, quam supra definivimus, esse orationem, in qua uno dato aliud sequitur: ibidem enumeravimus quatuor argumentationis species, scilicet syllogismum, entimema, inductionem, & exemplum, ex quibus circa entimema, & exemplum nihil speciali nota dignum occurrit: quare solum agemus de inductione, & syllogismo, & primo de consequentiâ, quæ ratio communis est omnibus argumentationis speciebus.

## CAPVT I.

*De Consequentiâ.*

I. **C**onsequentiâ est illatio unius ex alio, id est, oratio significans illationem, seu connexionem huius cum illo, ut: *Petrus currit ergo movetur.* Differunt argumentatio, & consequentiâ ut includens, & inclusum:

nam argumētatio est tota hypothetica constans ex antecedenti, & consequenti, & connexionē unius cum altero. Consequentia verò præcisè dicit nexum antecedentis cum consequenti. Rursus: argumentatio dicitur, quia arguit mentem ad assentiendum alicui, & consequentia præcisè non arguit, nec obligat ad assentiendum. Unde hæc est bona consequentia: *homo est lapis: ergo est substantia* quia si est lapis bene sequitur, quod sit substantia, sed est mala argumentatio, quia non arguit, seu obligat absolutè mentem ad assensum conclusionis.

3. Consequentia alia est bona, in qua revera consequens infertur ex antecedenti, ut *Petrus currit: ergo movetur*; alia mala, in qua revera consequens ex antecedenti non inferatur, ut *Petrus est dives: ergo est doctus*. Sed omnia hæc consequentia mala, quæ non nisi æquivocè dicitur consequentia.

4. Dividitur consequentia bona in formalem, & materialem. Formalis est, quæ tenet ratione formæ. Materialis, quæ tenet ratione materiae. Tunc consequentia tenet ratione formæ quando sunt illa dispositione terminorum in quacunque materia bene concluditur: unde hæc est consequentia formalis, *omne rationale est visibile; homo est rationalis: ergo homo est visibilis*, quia si servetur eadem dis-

positio terminorum, idest, idem ordo, situs, quantitas, & qualitas interminis, etiam si materia varietur, semper concluditur bene, ut videre est in hac consequentia, similis formæ, *omnis homo est lapis; equus est homo: ergo equus est lapis*, in qua, licet singulæ: propositiones sint in materia repugnanti, inferitur bene consequens ex antecedenti.

5. Tunc verò consequentia tenet solum ratione materiæ, quando solum ratione materiæ, in qua sunt propositiones, inferitur consequens ex antecedenti, sed in alia materia sub eadem dispositione terminorum non sequeretur consequens ex antecedenti. Unde ista consequentia est materialis: *homo est animal: ergo omnis homo est animal*. Quia cum propositiones sint in materia naturali, in qua indefinita æquibaleat universali, bene valet ab antecedenti, quod est propositio indefinita, ad consequens, quod est propositio universalis, sed in alia materia, etiam sub simili forma, non rectè inferretur, ut videre est in hac consequentia: *homo est albus: ergo omnis homo est albus*. Hinc sequitur; quod consequentia formalis est bona simpliciter, quia in nulla materia potest instari, idest, nec in ipsa, nec in alia similis formæ potest dari antecedens verum, & consequens falsum; consequentia materialis est bona secundum quid, & cum ad

dicto, scilicet, in tali materia, quia, potest instari, id est, in alia similis formæ potest dari antecedens verum, & consequens falsum.

6. Principium est innegabile ab eo, cui rationis lumen effulget, quod in bona consequentia non potest dari antecedens verum, & consequens falsum; & patet; nam unum cum altero connecti est, quod unum existere non possit, quin existat alterum; sed bona consequentia est oratio verè significans veritatem antecedentis esse connexã cum veritate consequentis: ergo in bona consequentia non potest dari antecedens verum, quin consequens etiam sit verum. Ex hoc principio nonnullæ regulæ bonæ consequentiæ colliguntur.

(§.)

*Regulæ bonæ consequentiæ.*

7. **P**rima regula bonæ consequentiæ, ex verò semper verum; falsum non nisi ex falso: ex falso tamen aliquando infertur verum: Prima, & secunda pars patet ex præiacto principio. Tertia constat, nam bene sequitur: homo est lapis: ergo homo est substantia, quia arguitur ab inferiori ad superius affirmativè, quia locus tenet ex vi formæ ac proinde in omni materia, etiam repugnanti.

8. Secunda regula: in bona consequentia ex



*necessario non sequitur contingens, nec ex contingenti sequitur impossibile: prima pars probatur: si antecedens est necessarium, semper est verum, si consequens est contingens, potest esse aliquando falsum: ergo si antecedens esset necessarium, & consequens contingens, posset aliquando antecedens esse verum, & consequens falsum. Secunda pars similiter probatur. Si antecedens est contingens, potest esse aliquando verum, si consequens est impossibile, semper est falsum: ergo si ex antecedenti contingenti sequeretur consequens impossibile, aliquando daretur antecedens verum, & consequens falsum.*

9. Tertia regula: *Ex impossibili sequitur quodlibet, & necessarium sequitur ex quolibet, ubi ly impossibile, & ly necessarium accipiuntur indefinite, ly quolibet pro generibus singulorum. Vnde non est sensus, quod ex qualibet propositione impossibili sequitur quaelibet propositio in universon, nec quod omnis propositio necessaria sequatur ex qualibet propositione in universon, sed quod datur aliqua propositio impossibilis, ex qua sequitur aliqua necessaria, & aliqua impossibilis, & aliqua contingens: ut ex ista impossibili: *Corvus disputat, sequitur hæc necessaria, ergo est vivens, & hæc impossibilis: ergo est rationalis, & hæc contingens: ergo vigila; & quod datur**

ali-

aliqua necessaria, quæ sequitur ex aliqua necessaria, ex aliqua impossibili, & ex aliqua contingenti; ut ista necessaria *homo est vivens*, sequitur ex ista necessaria, *homo est animal*, ex hac impossibili, *homo est equus*, & ex hac contingenti, *homo discurrit*.

9. Quarta regula: in bona consequentia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens: & quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti. Prima pars probatur. Si quod sequitur ad consequens, non sequeretur ad antecedens, posset esse verum antecedens, & falsum id, quod sequitur ad consequens: sed si id, quod sequitur ad consequens, est falsum, consequens ipsum est falsum, quia ex verò nunquam falsum: ergo daretur in bona consequentia antecedens verum, & consequens falsum. Undè secundum hanc regulam, si ad esse hominem sequitur esse rationale, & ad esse rationale sequitur esse risibile, ad esse hominem sequitur esse risibile, & in hoc fundatur locus arguendi de primo ad ultimum, ut si bene sequitur, *est homo: ergo est animal: est animal: ergo est vivens*, bene sequitur, *est homo: ergo est vivens*. Secunda pars probatur in hunc modum: si id, quod repugnat consequenti, non repugnaret antecedenti, posset antecedens esse verum, & esse verum, quod repugnat consequenti; sed si id, quod repugnat consequenti,

quenti, est verum, consequens est falsum: ergo posset esse antecedens verum, & consequens falsum. Unde secundum hanc regulam, si ad rationale sequitur risibile, & risibili repugnat hinnibile, etiam rationali repugnat hinnibile, & in hoc fundatur locus arguendi ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis, ut si bene sequitur, est rationale: ergo est risibilis, bene sequitur, non est risibile: ergo non est rationale.

## CAPUT II.

## De Inductione.

181. **I**nductio est, argumentum manuducens per singularia que sensibus experimur ad cognoscendam veritatem, vel falsitatem universalis, ut si quis dubitet, utrum sit verum, quod omnis ignis calefacit, persuadet sibi, esse verum, hoc argumento: Hic ignis calefacit, & ille calefacit, & ille: ergo omnis ignis calefacit: Si vero dubitet, utrum hæc propositio: omnis homo est albus, sit falsa, certificatur de illius falsitate hoc argumento: si omnis homo est albus, hic homo est albus, & ille est albus, & ille: at video, aliquem ex istis album non esse: ergo falsum est, quod omnis homo sit albus.

11. Dividitur inductio in ascensam, & descensam: Ascensus est à singulari sufficienter

enumeratis, ad universale progressio: ut, iste ignis calefacit, & ille ignis calefacit, & sic de alijs: ergo omnis ignis calefacit. Descensus est, ab universali ad singularia progressio. Ly universale in utraque definitione non iunitur pro propositione determinatè universali, sed pro quacumque habente loco subiecti terminum communem, quæ universalis dicitur, quia in illa subiectum supponit pro omnibus singularibus copulativè, vel divisivè.

12. Differunt inter se ascensus, & descensus: quia præcipuum munus ascensus est probare veritatem universalis; descensus vero deservit ad ostendendam falsitatem universalis. Ratio primæ partis est: quia in ascensu singulares propositiones gerunt vices antecedentis, & universalis propositio est consequens: sed in bona consequentia antecedens verum infert consequens verum, & antecedens falsum non infert consequens falsum: ergo in ascensu propositiones singulares, si sunt veræ, probant universalem esse veram, & è contra, si sunt falsæ, non probant universalem esse falsam. Ratio secundæ partis est, quia in descensu, propositio universalis ponitur loco antecedentis, & propositiones singulares sunt consequens; sed ex falsitate consequentis benè sequitur falsitas antecedentis, & ex veritate consequentis non sequitur

veritas antecedentis: ergo in descensu ex falsitate singultrium sequitur, & probatur falsitas vniversalis, & ex veritate illarum non probatur veritas vniversalis.

13. Tàm ascensus, quàm descensus est quadruplex, scilicèt copulativus, copulatus, disiunctivus, & disiunctus: ascensus: & descensus copulativus est, in quo singularia numerantur per propositiones copulativas, vt *omnis homo est animal: ergo hic homo est animal, & ille homo est animal, &c.* disiunctivus est, in quo singularia numerantur per propositiones disiunctivas, vt *hic homo currit, vel ille homo currit, &c.* Ergo homo currit: copulatus, in quo singularia non numerantur per propositiones, sed per terminos collectivè acceptos, vt *omnes Apostoli sunt duodecim: ergo ille, & ille, &c. sunt duodecim:* disiunctus, in quo singularia non numerantur per propositiones, sed per terminos disiunctim sumptos: vt *equus requiritur ad equitandum: ergo hic, vel ille, vel ille equus requiritur ad equitandum.*

14. Circa ascensum, & descensum duo possunt verti in dubium. Primum: quis ascensus, & descensus debeat huius, vel illi suppositioni: alterum, quo ordine sub unoquoque termino, possit fieri ascensus, vel descensus.

\*\*\*

§.

## Regule ascensus, &amp; descensus.

15. **Q**uantum ad primum sit triplex regula. Prima, termino supponenti distributivè debetur ascensus, & descensus copulativus. Secunda termino supponenti determinate debetur ascensus, & descensus disiunctivus: Tertia regula: termino supponenti confusè tantum copulativè, debetur ascensus, & descensus copulativus; termino verò supponenti confusè tantum disiunctivè debetur ascensus, & descensus disiunctivus. Sed nota, quod si terminus communis supponit confusè disiunctivè, eo quod mediatè afficitur signo universalis affirmativo, post resolutum terminum immediatè affectum signo universalis in suas singulares, potest & ipse resolvi per ascensum, & descensum disiunctivum, ut ly *animal* in hac propositione: *omnis homo est animal*, postquam facta est hoc modo resolutio sub ly *homo*: *ergo hic homo est animal, & ille homo est animal*, potest resolvi, dicendo: *hic homo est illud animal, vel hic homo est illud animal.*

16. Quantum ad secundum sit prima regula. Quando omnes termini supponunt determinatè, vel omnes distributivè, à quolibet

bet eorum immediatè potest incipere ascensus, & descensus, ut in hac propositione, *aliquis homo est albus*, & in hac *nullus homo est lapis*, possumus pro libito incipere resolutionem à subiecto, vel à prædicato. *Secunda regula*: Quando in propositione vnus terminus supponit determinate, & alius distributivè, ascensus non potest fieri sub termino supponente distributivè, donec fiat sub termino supponente determinatè; descensus autem potest immediatè à quolibet incipere, ut in hac propositione *aliquis homo non est rationalis*, *ly rationalis* non potest immediatè resolvi per ascensum in hunc modum, *aliquis homo non est hoc rationale*, & *aliquis homo non est hoc rationale*, &c. ergo *aliquis homo non est rationalis*: quia antecedens est verum, & consequens fallū; sed debet resolvi prius *ly homo* dicendo, *hic homo non est rationalis*, vel *ille homo non est rationalis*, hoc modo *hic homo*, *non est hoc rationale*, *nec est illud rationale*, *nec est illud rationale*: ergo *aliquis homo non est rationalis*: in descensu verò potest inuiserenter incipere à *ly homo*, vel si mavis à *rationali*.

17. Tertia regula, quando in propositione vnus terminus supponit confusè disiunctim, & alius distributivè, non licet immediatè descendere disiunctivè sub illo, quin prius

resolvatur in suas singulares terminus supponens distributive: licet tamen ascendere immediate sub quolibet eorum, ut si dicas: *omnis homo est animal*, non valet: *ergo omnis homo est hoc animal*, vel *omnis homo est hoc animal*; valet tamen, *omnis homo est hoc animal*, vel *omnis homo est hoc animal*: *ergo omnis homo est animal*. Pro relativis nota, quod reciprocum resolvi nequit, nisi prius resolvatur suum antecedens non reciprocum autem potest immediate resolvi.

### CAPUT III.

#### *De Syllogismo, & illius principijs.*

18. **P**Ræcipua species argumentationis est syllogismus quem ex Arist. definit D. Thom. opuscul. 48. cap. 1. *Oratio, in qua, quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud sequi per ea, quæ posita sunt, & concessa.* Oratio ponitur loco generis: oratio, inquam argumentativa, quæ est genus proximam syllogismi: *quibusdam positis*: id est positis, & dispositis præmissis in modo, & figura: *concessis* denotat vim conloquentiæ, & quod præmissæ rectè dispositæ, licet falsæ sint, si concedantur cogunt ad assentiendum conclusioni: *necesse est aliud sequi*. Id est, necesse est, sequi conclu-



clusionem: necesse, inquam, non necessitate consequentis, sed consequentiae: necessitas consequentis desumitur ex habitudine praedicti ac subiectum, & contingit, quando propositio in se est necessaria; necessitas consequentiae, desumitur ex habitudine consequentis ad antecedens, & contingit, quando consequens infallibiliter sequitur ex antecedenti, etiam si illud sit propositio in se contingens: ut consequens huius syllogismi, *omnis homo est albus; Petrus est homo: ergo Petrus est albus*, est necessarium necessitate consequentiae, non necessitate consequentis: *Per ea, quae posita sunt, & concessa* distinguitur syllogismus ab inductione, enthimemate, & exemplo, & denotat conclusionem sequi in syllogismo ex vi dispositionis terminorum in praemissis, quod si eandem definitionem clarioribus terminis expressam desideras, audi, quam Mag. Scotus tradit: syllogismus est, *consequentia formalis, in qua, virtute connexionis medij cum extremitatibus sequitur connexio extremitatum inter se.*

19: Ex dictis sequitur primò. Quod syllogismus est consequentia formalis, in quo difert à paralogismo, seu syllogismo apparenti. Secundo quod debet constare duabus praemissis, in quo distinguitur ab enthimemate, Tertio quod ex utraque praemissa debet sequi conclusio. Undè hic non est syllogis-

mus: cuiuslibet hominis equus est animal, Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Quia conclusio tantum sequitur ex altera præmissarum, scilicet, ex secunda, & prima ad inferendum est impertinens: quarto, quod conclusio sequatur in vi connexionis extremitatum cum medio, in quo differt ab inductione; & licet demus, quod in ascensu ex vi dispositionis terminorum sequatur conclusio, non tamen sequitur aliud, ut definitio syllogismi requirit; sed sequitur id ipsum; nam universalis, quæ per ascensum probatur non est aliud à singularibus: unde, ut salvetur; quod sequitur aliud ex vi dispositionis terminorum, requiritur, quod sequatur conclusio in vi connexionibus extremitatum cum medio. Quare plures consequentiæ formales, quæ tenet in vi alicuius loci arguendi, sed non in vi connexionis extremitatum cum medio, non sunt syllogismus, ut *Petrus currit, & disputat: ergo currit.*

20. Deveniendoad partes ex quibus syllogismi fabrica confurgit: sciendum est, illum constare materia, & forma: materia est duplex, proxima, & remota: proxima sunt tres propositiones, quarum prima, quia sæpè universalior est dicitur maior, secunda quia subsumitur sub maiori, dicitur minor, & utraque vocatur præmissa, quia præmittitur

titur conclusioni: tertia, quæ notam illationis sequitur, dicitur conclusio, quia est terminus quo concluditur processus syllogisticus. Materia remota syllogismi sūt termini: terminus autem syllogisticus diffinitur ab Aristotel. 1. Priorum cap. 1. *In quem resolvitur propositio, tanquam in subiectum, & predicatum, & est triplex, nempe maior extremitas, minor extremitas, & medium. Maior extremitas est, terminus qui ponitur in maiori cum medio. Minor extremitas est, terminus, qui petitur in minori cum medio. Medium est terminus bis positus in præmissis, & non in conclusione: & nomine termini intelligimus, quidquid gerit vices extremi propositionis, sive illud sit complexum, sive incomplexum.*

21. Forma syllogismi est artificiosa materia syllogistica dispositio. Unde materia quæ duplex est, duplex etiam forma correspondet, nempe figura, & modus. *Figura est dispositio terminorum in debita subiectione, & predicatione: modus est, dispositio propositionum in debita quantitate, & qualitate: in debita qualitate, v. gr. cum ordinantur præmissæ, ita, ut aliqua saltem illarum sit affirmativa, in debita quantitate, ut cum ordinantur præmissæ, ita ut utraque non sit particularis: hæc de partibus intrinsicis ex quibus syllogismus constat.*

§.

*Principia extrinseca regulantia syllogis-*  
*mm.*

22. **V**erum principia extrinseca, quibus syllogismi artefactum innititur, & regulatur, sunt tria: primum est: *dici de omni*, & *dici de nullo*: *dici de omni* deservit syllogismis affirmativis, & *dici de nullo* negativis. Secundum: *que sunt eadem vnitentio*, sunt eadem inter se: & ea, quorum vnum identificatur cum tertio, & alterum distinguitur à tertio, distinguuntur inter se. Cuius prima pars deservit syllogismis affirmativis, & secunda negativis. Tertium est, *reductio vnius syllogismi, non ita clarè concludentis, ad alterum, id quo clarius elucescit bonitas illationis.*

23. *Dici de omni* denotat, quod quidquid affirmatur de aliquo subiecto distributivè accepto, debet affirmari de omnibus, & singulis inferioribus sub illo contentis; vt si de omni homine affirmetur animal, debet etiam affirmari animal de Petro, qui sub homine continetur, & ex hoc principio constat, & dependet efficacia huius syllogismi, *omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* *Dici de nullo*, denotat, quod quidquid negatur

tur

pur de subiecto distributive accepto, negari debet de omnibus, & singulis inferioribus contentis sub illo: ut si de omni homine negatur irrationale, negari debet irrationale de Petro, qui sub homine continetur: ex hoc quoque principio constat, & pendet efficacia istius syllogismi *nullus homo est irrationalis; Petrus est homo ergo Petrus non est irrationalis.*

24. Rursus: *quæ sunt eadem uni tertio* denotat quod quando aliqua duo identificantur cum medio, necesse est, quod identificentur inter se. Undè vim habet hic syllogismus: *Omnis homo est animal; Petrus est homo: ergo Petrus est animal: quia ex hoc, quod in præmissis Petrus, & animal identificantur cum homine, infertur in conclusione Petrum, & animal inter se identificari. Similiter, altera pars huius principij, nempe, ea, quorum unum identificatur cum tertio: & alterum distinguitur à tertio, distinguuntur inter se: denotat, quod quando aliqua duo ita se habent, ut unum identificetur cum medio, & alterum ab illo distinguatur, necesse est, ipsa inter se distingui, ex hoc syllogismus iste efficaciter concludit: *nullus homo est equus; Petrus est homo: ergo Petrus non est equus: quia ex hoc, quod in præmissis identificatur Petrus cum homine, & distinguitur equus ab homine, infertur in conclusione Petrum, & equum inter se distingui.**

25. Tertium principium extrinsecum, cui innititur fabrica syllogismi, est unius syllogismi ad alterum reductio, de qua tamen infra opportunius tractabitur, & nunc solum placeat advertere, quod hæc tria principia differunt in eo, quod primum deservit omni syllogismo communi; secundum omni syllogismo, sive communi, sive expositorio; tertium verò deservit communibus, & expositivis, non omnibus, sed imperfectis.

## CAPUT IV.

### *De Divisione Syllogismorum.*

26. **T**AM ex parte materiæ, quàm ex parte formæ multifariam dividitur syllogismus, primo ex parte mediæ, quod ad materiam remotam syllogismi secundum se sumptam pertinet, dividitur in *communem*, & *expositivum*. Communis est cuius medium est terminus communis. Expositivus, cuius medium est terminus singularis, ut Petrus est Dialecticus, Petrus est homo: ergo homo est Dialecticus. Secundò, ex parte habitudinis prædicandi ad subiectum, quod pertinet ad materiam remotam syllogismi comparativè sumptam, dividitur in *demonstrativum logicum*, & *physicum*. Syllogismus demonstrati-

us est, qui generat scientiam: quia procedit ex veris, & necessarijs, ac precindè facit conclusionem sciri. Topicus, qui generat opinionem, quia procedit ex prebabilibus, subindeque facit, conclusioni cum nonnulla formidine assentiri. Sophisticus, qui generat errorem, quia procedit ex apparentibus, & facit, ut circa conclusionem deciamur.

27. Ratione materiæ proximæ dividitur syllogismus, tum in *Cathegoricum*, & *Hypotheticum*, tum in *affirmativum*, & *negativum*, tum in *simplicem*, & *modalem*. *Cathegoricus* est, cuius tam præmissæ, quam conclusio sunt propositiones cathegoricæ, ut *omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. *Hypotheticus* cuius præmissæ, vel aliqua præmissa est hypothetica, ut *omnis homo currit, & disputat: Petrus est homo: ergo Petrus currit, & disputat*. *Affirmativus*: cuius utraque præmissa est affirmativa. *Negativus*, cuius altera præmissa est negativa. *simplex*, cuius utraque præmissa est propositio de *inesse*. *Modalis*, cuius altera præmissa est propositio modalis.

28. Ratione formæ dividitur syllogismus in figuras, & modos. Figure sunt tres: prima, cuius medium in una præmissa subiicitur, & in altera prædicatur: secunda, cuius medium in utraque prædicatur: tertia, cuius

ius medium in utraque subiicitur; unde ver-  
sus.

*Sub præ prima: secunda his præ: tertia bis sub.* Id-  
est, medium subiicitur, & prædicatur in prima  
figura; in secunda bis prædicatur, in tertia bis  
subiicitur. Sufficiencia huius divisionis sic col-  
ligitur: figura est dispositio mediij secundum  
subiectionem, & prædicationem; sed medium  
tripliciter tantum potest disponi, nempe, vel  
ita, ut in utraque præmissa subiiciatur, vel ita,  
ut in utraque prædicetur, vel ita, ut in una  
subiiciatur, & in altera prædicetur: ergo tri-  
plex tantum est figura.

29. Dividitur præterea syllogismus in mo-  
dos, quia licet propositiones, secundum qua-  
litatem, & quantitatem possent 48. modis  
disponi, eo quod figuræ sunt tres, & in quali-  
bet figura qualitas, & quantitas sexdecim  
modis posset convariari; tamen quia modus  
solum est dispositio propositionum in debita  
qualitate, & quantitate, hoc est, servando re-  
gulas infra præscribendas; etsi serventur, so-  
lum decem, & novem modis possunt propo-  
sitiones disponi: fit consequens, solum esse  
admitrendos decem, & novem modos, ut  
utiles, & efficaciter concludentes, reliquis, ut  
inutilibus, reiectis: *Modi utiles* alij sunt per-  
fecti, alij imperfecti. *Perfecti* sunt, qui non in-  
digent reductione ad alios, ut in eis appareat  
evi-



evidens consequentia, tales sunt quatuor modi primæ figuræ. *Imperfecti*, qui indigent reduci ad perfectos, ut eorum consequentia appareat evidens. Rursus: utiles, alij sunt directè concludentes alij indirectè concludentes. *Directè concludunt*, quorum maior extremitas prædicatur de minori in conclusione. *Indirectè*, quorum maior extremitas subiicitur minori in conclusione.

30. Sed ut habeantur in promptu prædicti decem, & novem modi utiles, excogitate sunt à Dialecticis totidem dictiones, quarum vocales eorum quantitatem, & qualitatem designant. in singulis dictionibus observandæ sunt tres tantum vocales; si in aliqua plures ultra tres, fuerint inventæ, earum ratio non habetur, quia non ad aliquid significandum, sed ad integritatem metri sunt positæ: vocales autem sunt. *A, E, O, I*, quarum *A*, denotat universalem affirmativam, *E*, universalem negativam, *I*, particularem affirmativam, *O*, particularem negativam: continentur dictiones his quatuor carminibus.

*Barbara, Celarem, Darij, Ferio, Baralipon.*

*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.*

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.*

*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Feriso.*

31. Ex quibus, novem priores sepectant ad primam figuram, quatuor sequentes ad se-

cun-

Secundam, & reliqui sex ad tertiam: ex novem primæ figuræ, quatuor priores designant totidem modos perfectos directè concludentes; quinque posteriores denotant quinque modos imperfectos indirectè concludentes: reliquæ dictiones, rem secundæ quàm tertię figuræ designant modos imperfectos, sed directè concludentes.

32. Uno vel altero exemplo traditam doctrinam melius percipies. Vis construere syllogismum in *Barbara*: & dices ita: *Barbara* est una ex quatuor dictionibus primæ figuræ, cuius singulæ vocales sunt *A*: debet ergo syllogismus in *Barbara* constare medio, quod in maiori sit subiectum, & in minori prædicatum; debet præterea constare ex maiori universalis affirmativa, & minori etiã universalis affirmativa, & directè concludere universalem affirmativam: undè rem ita despones. *Omne rationale est visibile; omnis homo est rationalis ergo omnis homo est visibilis.* Vis concludere in *Celantes*, & dices, *Celantes* est una ex quinque posterioribus dictionibus primæ figuræ, cuius prima vocalis est, *E*, secunda *A*, tertia, *E*, debet ergo in *Celantes* confici syllogismus constans medio, quod sit subiectum in maiori, & prædicatum in minori; constans præterea maiori universalis affirmativa, & minori universalis affirmativa, & concludens in-

di-

directè universalem negativam, hoc pacto: *nullus homo est equus: omne rationale est homo: ergo nullus equus est rationalis.* Vis insuper concludere in *Festino*, & dices. *Festino* est dictio secundæ figuræ constans tribus vocalibus, E, I, O, debet ergo in *Festino* formari syllogismus, cuius medium sit in utraque præmissa prædicatum, cuius maior sit universalis negativa, minor particularis affirmativa: quæ directè concludant particularem negativam, v. gr. *nullus homo est equus: aliquod hinnibile est equus: ergo aliquod hinnibile non est homo.* Vis denique conficere in *Darapti*, & dices: *Darapti* est dictio tertiæ figuræ, cuius prima, & secunda vocalis est. A, & tertia I, debet ergo syllogismus in *Darapti* constare medio, quod in utraque præmissa sit subiectum, debet etiam constare maiori universali affirmativa, minori pariter universali affirmativa, & concludere directè particularem affirmativam, hoc modo. *Omnis homo est rationalis; omnis homo est risibilis: ergo aliquod risibile est rationale.*

33. Hinc advertendum est primò, quod ubicumque concluditur subalternas, posset concludi subalterna; nam quidquid sequitur ad consequens in bona consequentia, sequitur ad illius antecedens. Undè in *Barbara*, *Celarem*, *Celantes*, *Cesare*, & *Camestres*, loco universalium, quas inferunt, possent inferri particu-

lares eisdē subalternæ, & constitui modi, quos designarent dictiones istæ, *Barbari, Celaron, Celantos, Cesaro, Camestros*, eos tamen expresse multiplicare non oportui, nam res est facilis, & quæ propositis prædictis modis, è quolibet nullo negotio potest confici.

34. Adverte secundo, quod, per eandem regulam bonæ consequentiæ, ubicumque concluditur conversa, potest concludi loco ipsius convertens simpliciter, & per accidens: hac ratione multiplicavit Philosophus quinque modos indirectè concludentes in prima figura: eademque ratione possent in secunda alij duo, in tertia alij tres multiplicari: eos tamen cum Philosopho libenter prætermittimus, quia ex modis indirectè concludentibus in prima, facile potest colligi, quomodo inferendo loco conversæ convertentem in secunda, & tertia figura possit, indirectè concludi.



## CAPVT I.

## De Reductione syllogismorum.

35. **P**Rimi quatuor primæ figuræ syllogismi adeo evidenter concludunt, ut nemo rationis oculo non orbatus, vim illationis in eis non percipiat; reliqui verò, licet rectè concludant, tamen bonitas consequentiæ rudioribus non lucet primo aspectu: quo circa probantur per alios perfectos, in quibus, vel clarius eadem conclusio conspicitur, vel is, qui negavit illationem, ad concedendum aliquid impossibile, scilicet, duplex contradictorium, si palinodiam non recantet, aperte compellitur. Undè duplex est redunctio: prima *ostensiva*, secunda *per impossibile*. *Ostensiva* est, probatio modi imperfecti, in qua per transmutationem præmissarum, aut per conversionem alicuius propositionis sequitur mediatè, vel immediatè in aliquo modo perfecto conclusio modi imperfecti, ut hic syllogismus in *Barbesmo*: *omnis homo est rationalis; nullus equus est homo: ergo aliquod rationale non est equus*, probatur ostensivè per istum: *nullus homo est equus, aliquod rationale est homo: ergo: aliquod rationale non est equus*, quia in eo transmutatis præmissis: id est, posita minori loco maioris, &

maiori loco minoris, & conversa maiori per accidens, minori que simpliciter, concluditur in *Ferio* immediate conclusio syllogismi, qui erat in *Fapesmo*. Similiter hic syllogismus factus in *Celantes*: *nullus homo est equus; omne rationale est homo: ergo nullus equus est rationalis*: probatur ostensive per istum, *nullus homo est equus, omne rationale est homo: ergo nullam rationale est equus*: quia in eo per conversionem simplicem unius propositionis concluditur id *Celarem* mediate conclusio, quæ erat in *Celantes*, id est, concluditur aliquid, ex quo sequitur conclusio, quæ erat in *Celantes*.

36. Sed ut expeditius ostensive reduci possint imperfecti ad perfectus, *nota primo*: singulas dictiones incipere per unam ex his quatuor consonantibus *B, C, D, F*. *Nota secundo*: modum imperfectum incipientem per aliquam ex illis, reducendum esse ostensibè ad modum perfectum per similem litteram incipientem, *Barapton*, ad *Barbara*, *Celantes*, *Cesare*, *Camestres* ad *Celatem*; *Dabitis*, *Durapti*, *Difamis*, *Darisi* ad *Darij*; *Fapesmo*, *Fisomorum*, *Festino*, **Felapton**, *Ferison* ad *Ferio*. *Nota tertio*, & observa in his dictionibus præter litteram initialem reperiri quatuor consonantes, scilicèt, *S, P, M, C*, quarum, *S*, denotat, quod propositio designata per vocalem antecedentem, debet converti simplici-

citer, P quod propositio, designata per vocalem antecedentem, debet converti per accidens: M. denotat præmissas esse transponendas, transmutando maiorem in minorem: C. quando non ponitur in principio dictionis, sed mediat inter vocales, denotat quod talis modus non est reducendus ostensivè, sed tantum per impossibile. Undè versus.

*Simpliciter verti vult S. P. verò per acci.*

*M vult transponi C per impossibile duci.*

37. Vnico exemplo fit res conspicua. In *Fapesmo* littera initialis F denotat illud esse reducendum ad *Ferie*, littera P denotat maiorem universalem affirmativam, designatam per vocalem antecedentem A, debere converti per accidens: littera S indicat, minorem universalem negativam designatam per vocalem E antecedentem, debere converti simpliciter; M transmutandam esse maiorem in minorem. Undè syllogismus hic constructus in *Fapesmo*: *omnis homo est rationalis, nullus equus est homo; ergo aliquod rationale non est equus*, reducitur ostensivè ad *Ferie* hoc pacto; *nullus homo est equus, aliquod rationale est homo ergo, aliquod rationale non est equus*. Nota, quod littera P in *Baralipson* non denotat conclusionem convertendam esse per accidens, quia particularis affirmativa non convertitur per accidens, sed denotat,

loco particularis affirmativæ ponendam esse  
universalem affirmativam, quæ per accidens  
convertitur in ipsam.

§.

De Rednctione per impossibile.

38. **R**eductio per impossibile est pro-  
batio, in qua ex contradictorio  
consequentis syllogismi imperfecti, & una  
præmissa concessa infertur contradictoriū al-  
terius præmissæ concessæ, ut si istius syllo-  
gismi in *Bocardo*: *aliquis homo non est hinnibilis;*  
*omnis homo est rationalis: ergo aliquod rationale non*  
*est hinnibile*, neges consequentiam: debet assu-  
mi contradictorium conclusionis negatæ,  
nempe: *omne rationale est hinnibile*. quæ propo-  
sicio necessariò in hoc casu concedenda est,  
ex qua concessa simul cum minori syllogismi  
imperfecti, quæ fuit antea concessa, infertur  
in *Barbara* contradictorium maioris concessæ  
in syllogismo imperfecto; hoc pacto. *Omne ra-*  
*tionale est hinnibile; omnis homo est rationalis: er-*  
*go omnis homo est hinnibilis.*

49. Quia tamen contradictorium con-  
clusionis negatæ aliquandò pro maiori, ali-  
quandò pro minori debet poni, quo ordine  
in unaquaque figura sit constituendum, indi-  
cant hi versus.



*Maior fit minor, & fit contradictio maior.*

*Dempto Celantes, in quo per veritur ordo.*

*Servat maiorem, variat que secunda minorem,*

*Tertia maiorem variat, servaque minorem.*

40. Ex quibus tres regulæ deducuntur. Prima: in prima figura, contradictoria conclusionis negatæ assumitur pro maiori, & maior syllogismi imperfecti pro minori, & infertur contradictorium minoris. Excipitur *Celantes* in cuius reductione contradictorium conclusionis assumitur pro minori, minor pro maiori, & infertur contradictorium maioris. *Secunda*, in secunda figura contradictorium conclusionis ponitur pro minori, & cum eadem maiori infertur contradictorium minoris. *Tertia*, in tertia figura contradictorium conclusionis assumitur pro maiori, & cum eadem minori infertur contradictorium maioris.

41. Facta reductione syllogismi imperfecti ad perfectum per has regulas, facile diiudicabis, ad quem modum perfectum talis reductio est facta, ut tamen quasi per regulam generalem sis præmonitus, & propositio quovis syllogismo imperfecto, possis promptè designare modum perfectum, quem sibi pro reductione vendicat, has quatuor dictiones observabis: *Nescibatis Odiebam, Letare, Romanis.*

42. Vocales in eis repertæ sunt A, E, I, O, Denotat A, modum imperfectum sibi corres-

pondentem reducendum esse ad modum perfectum, cuius conclusio est universalis affirmativa, scilicet ad *Barbara*. *E* significat modum imperfectum, cui correspondet, reducendum esse ad modum perfectum, cuius conclusio est universalis negativa, idest ad *Celarem*. *I* reducendum esse ad *Darij*: *O* reducendum esse ad *Ferio*: Prima dictio continet syllabas deservientes quinque modis imperfectis primæ figuræ, ita ut primæ respondeat primus: secundæ secundus, & sic de reliquis. Secunda dictio continet quatuor syllabas, quæ prædicto ordine deserviunt quatuor modis secundæ figuræ. Tertia, & quarta dictio continent sex syllabas eodem ordine inserviientes sex modis tertiæ figuræ.

43. Undè si vis scire ad quem modum ex perfectis reducendus sit syllogismus *de Baralipeon*, qui est primus modus imperfectus primæ figuræ, quæres in prima dictione, scilicet *Nescibatis*, primam vocalem: & invenies illam esse *E*, quæ designat modum sibi correspondentem reducendum esse ad *Celarem*: & dices *Baralipton* reducendum esse ad *Celarem* servatis regulis nuper traditis, idest, ponendo contradictorium conclusionis negatæ pro maiori; maiorem pro minori, & concludendo contradictorium minoris concessæ. Vis scire ad quem modum perfectum redu-

dus si modus de *Cessare*, qui primus est secunda-  
 dae figuræ, quæres primam vocalem secundæ  
 dictionis, scilicet *Odiebam*, & comperies re-  
 ducendum esse ad *Ferio*: haud aliter si petas,  
 ad quem modum ex perfectis reduci debeat  
 tertius modus tertiæ figuræ, scilicet, *Dissa-*  
*mis*, indicabit tibi reatia vocalis tertiæ dictio-  
 nis, scilicet, *E*, in *Latere* reducendum esse ad  
*Celarem*.

44. Vnum vel alterum exemplum  
 è multis, quæ iam tibi facile occurrent, ac-  
 cipe. *Dabitur*, qui est tertius modus imperfec-  
 tus primæ figuræ denotat tertia vocalis pri-  
 mæ dictionis scilicet, *E* in *Nesciebatis* reducen-  
 dum esse ad *Colarem*, fiat ergo syllogismus in  
*Dabitur* hoc pacto: *Omnis homo est risibilis; aliquod*  
*racionale est homo: ergo aliquod risibile est rationa-*  
*le*. Si neges consequentiam, teneris concedere  
 contradictorium consequentis, scilicet, *nullum*  
*risibile est rationale*: tunc sic forma syllogismum  
 in *Celarem*. *nullum risibile est rationale; omnis ho-*  
*mo est risibilis: ergo nullus homo est rationalis*, quæ  
 ex contradictoria minoris concessæ in prio-  
 ri syllogismo. *Baroco*, qui quartus est modus  
 secundæ figuræ, denotat quarta vocalis se-  
 cundæ dictionis reducendum esse ad *Barbara*;  
 fiat ergo syllogismus hic in *Baroco*: *Omnis homo*  
*est rationalis; aliquis equus; non est rationalis: er-*  
*go aliquis equus non est homo*. Si neges conse-

quentiam infero: ergo omnis equus est homo. Tūc sic in Barbara: omnis homo est rationalis; omnis equus est homo: ergo omnis equus est rationalis, quæ est contradictoria minoris concessæ: Ferison, qui ultimus modus est tertiæ figuræ denotat ultima vocalis quartæ dictionis reducendum esse ad Darij: fiat igitur syllogismus in Ferison, sic: nullus homo est equus; aliquis homo est rationalis ergo aliquod rationale non est equus. Si negatur consequentia, infero: ergo omne rationale est equus: tunc sic in Darij: omne rationale est equus: aliquis homo est rationalis: ergo aliquis homo est equus, quæ est contradictoria maioris concessæ.

## CAPUT VI.

### De Regulis generalibus syllogismorum.

45. **R**egulæ syllogismorum, quædam sunt communes omnibus, quædam speciales pro qualibet speciali figura. Communes, quædam spectant ad materiam remotam, quædam ad materiam proximam syllogismi; ex pertinentibus ad materiam remotam, scilicet ad terminos.

46. Prima regula generalis est: Syllogismus, ut recte concludat debet habere tres terminos, & non plures. Ratio primæ partis est, quia debent uniri duo extrema cum uno

medio in præmissis, ut in conclusione extrema inter se uniantur: ergo ad minus necessarij sunt tres termini scilicet duæ extremitates, & medium. Ratio secundæ partis est; quia structura syllogismi consistit in uniendo inser se eadem extrema, quæ fuerit identificata cum medio; ex identitate enim extremorum cum medio, solùm potest inferri identitas eorumdem inter se; sed in unione extremorum cum medio, solùm tres termini involvuntur: ergo syllogismus tres terminos habere debet, & non plures.

47. Ex quo sequitur primò, quòd medium in utraque præmissa debet idem permanere, & affici eisdem determinationibus: similiter quod extrema eadem, & cum eisdem determinationibus, cum quibus in præmissis, vel unita, vel separata fuerunt à medio, debent poni in conclusione: vndè non valet *omnis homini doctus disputat; Petrus est homo: ergo disputat*: nec valet *Æthiops est albus secundum dentes; Petrus est Æthiops: ergo albus*: Sequitur secundo, medium accipiendum esse univoce, & non æquivocè: quare non valet: *omnis canis latrat; fidus est canis: ergo latrat*. Sequitur tertio, servandam esse tam mediij, quàm extremitatum eadem suppositionem quoad genus, eandemque suppositionem confusam tantum, quando talis est ratione signi specialis

lis confusionis ; eadem insuper proprietates Logicales, ut ampliationem, alienationem, appellationem : alia tamen species suppositionis possunt invicem transmutari, ut distributiva, determinata, & confusa, quæ talis est ratione signi universalis affirmativi mediatae efficientis terminum.

48. Unde non valet: *mus est animal: mus est syllaba: ergo syllaba est animal*, quia *mus* in una propositione supponit materialiter, in alia formaliter: nec valet: *homo est species: Petrus est homo: ergo Petrus est species*; quia *homo* in maiori supponit simpliciter, in minori personaliter. Nec valet: *Omnis homo vivit: Anti-Christus est homo: ergo Anti-Christus vivit*, quia *homo* supponit in maiori accidentaliter, & naturaliter in minori: Nec sequitur: *Cognosco venientem; veniens est Petrus: ergo cognosco Petrum*, quia variatur appellatio: Nec sequitur, *omnis homo fuit albus: Petrus est homo: ergo Petrus fuit albus*: quia variatur ampliatio. Nec etiam valet, *omnes Apostoli Dei sunt duodecim; sed Petrus, & Iohannes sunt Apostoli Dei: ergo sunt duodecim*, quia mutatur suppositio collectiva in determinatam: Nec valet: *Aliquis oculus requiritur ad videndum; dexter est oculus: ergo dexter requiritur ad videndum*, quia mutatur suppositio confusa tantum, quæ talis est ratione signi specialis

confusionis, in alias species suppositionis. Inferuntur hæc tria confectaria ex tradita regula; nam terminus, in quo non servatur eadem determinatio, significatio & suppositio sive ampliatio, & appellatio, non est omnino idem, sed multiplex, ac proinde arguere proprietatibus illis non servatis, non est arguere in tribus terminis, sed in quatuor, vel in pluribus.

49. Secunda regula generalis. Medium in aliqua saltem præmissarum debet completè distribui. Ratio est, quia ut salvetur illud principium, *quæ sunt eadem uni tertio*, requiritur, quod tertium, sive medium sit perfectè idem, nam ex unione extremitatum in diversis non sequitur unio extremitatum inter se, nec ex unione unius extremi cum aliqua re, & distinctione alterius extremi ab alia re sequitur distinctio extremorum inter se; sed si medium in neutra præmissa distribuat potest accipi pro diversis; unde istæ propositiones sunt veræ *homo est albus: homo est niger*, quia *homo* cum distributus non sit accipitur pro diversis hominibus: ergo, ut syllogismus rectè concludat, debet medium distribui in altera saltem præmissarum.

50. Tertia: medium in altera præmissa debet esse totale extremum; non tamen

requiritur, quod in utraque sit totale extre-  
mum. Ratio primæ partis est, quia si in neu-  
tra sit totale extremum, arguitur in quatuor  
terminis, & nullum datur medium commu-  
ne, cum quo uniantur extrema, qua ratione  
istæ præmissæ inhabiles sunt ad inferendum:  
*cuiuslibet hominis equus est hinnibilis: cuiuslibet  
hominis canis est latrabilis.* Nulla enim conclu-  
sio potest inferri, nisi eius aliqua extremitas  
sive in recto, sive in obliquo in præmissis sit  
identificata cum medio. Ratio secundæ par-  
tis est, quia si in vna præmissa ponitur, ut  
totale extremum, iam datur in præmissis alia  
qua identitas extremitatis cum medio, ex  
qua possit in conclusione deduci identitas ex-  
tremorum inter se, ut patet in hoc syllogis-  
mo: *cuiuslibet hominis equus currit; Petrus est ho-  
mo: ergo Petri equus currit:* ubi homo est me-  
dium, enim quo in maiori identificatur ha-  
bere equum, qui currit, & in minori Petrus,  
ex quo infertur optimè, Petrum habere  
equum, qui currit, seu quod idem est, Petri  
equum currere: equivaleat enim præfatus syl-  
logismus huic: *Quilibet homo habet equum, &  
ille currit; Petrus est homo: ergo Petrus habet equum,  
& ille currit.*

51. Quarta regula. Medium non debet  
intere in conclusione. Ratio est, quia arti-  
ficium syllogismi consistit in inferendo in



conclusionem identitatem extremorum inter se ex identitate eorum cum medio; sed si medium intraret, conclusionem, syllogismus non inferret in conclusionem identitatem extremorum, sed identitatem extremi cum medio, ergo rueret artificium syllogismi; unde hic syllogismus non est bonus: *Omnis homo est albus; Petrus est homo: ergo albus est homo.*

52. Quinta regula. Id, quod se tenet ex parte medij in maiori, debet concludi cum minori extremitate, debetque concludi minor extremitas in eodem casu, in quo erat medium in maiori, & maior extremitas in eodem casu, in quo erat medium in minori, ut: *cuiuslibet hominis equus est animal, Petrus est homo: ergo Petri equus est animal.*

53. Sexta regula generalis. Nullus terminus potest distribui in conclusionem, qui non sit distributus in præmissis. Ratio est: quia, quæ in præmissis non sunt identificata, vel distincta à medio, non possunt in conclusionem identificari inter se, aut distinguere; at si terminus non distributus in præmissis distribuatur in conclusionem, accipitur in conclusionem pro aliquibus, pro quibus non fuit acceptus in præmissis, ac proinde aliqua dicentur identificari, aut distinguere inter se in conclusionem quæ non fuerunt identificata cum medio;

ut distincta ab illo in præmissis. Undè syllogismus iste nõ est bonus, *omnis homo est animal; aliquis homo non est equus: ergo aliquis equus non est animal*, quia ex parte illius termini *animal* arguitur non distributò ad distributum.

54. Septima regula generalis, quod medium in una saltem præmissa accipiatur copulative pro omnibus, pro quibus accipitur in altera. Ratio est nam alias posset vna extremitas identificari cum his, pro quibus accipitur id vna præmissa, & non identificari cum his, pro quibus acciperetur in alia, & sic non sequeretur identitas inter se extremitatum: id circo hic syllogismus non tenet: *omne album est homo; omnis equus possibiliter est albus: ergo equus possibiliter est homo*: quia *album* in nulla præmissarum sumitur copulativè pro omnibus, pro quibus accipitur in altera, quia in maiori non sumitur pro possibilibus, & in minori non accipitur copulativè pro præsentibus, & possibili, sed disiunctivè pro illis. Nec valet ista: *Nullum album est homo; omne rationale possibiliter est album: ergo nullum rationale possibiliter est homo*. Nec iste: *omne animal fuit in Arca Noè; Petrus est aliquod animal: ergo fuit in Arca Noè*, si in maiori ly *omne* distribuatur incòplete, & ly *aliquod* in minori particularizet còplete. Valeret tamè si in minori poneretur ly *aliquod* particularizans incòpletè: quia tunc acciperetur *animal* pro eodè

in-

in maiori, & minori; nam si dicas: *Omne animal fuit in Arca noe; homo est aliquod animal, ergo fuit in Arca Noe*, ly *aliquod* in minori particularizante incomplete, reddere hunc sensum: *cuiuslibet speciei animalis, aliquod animal fuit in Arca Noe; sed homo est omne animal, alicuius speciei animalis: ergo fuit in Arca Noe*: ubi iam *animal* in vna propositione accipitur pro omni animali, pro quo accipitur in altera.

55. Ex pertinentibus ad materiam proximam syllogismorum, scilicet ad præmissas, prima regula generalis est: *Ex puris negativis nil sequitur*. Ratio est; quia syllogismus concludens ex puris negativis denotat, aliqua duo inter se distingui, quia distinguuntur ab vno tertio, quod est apperte falsum, nam duo inter se identificata possunt ab vno tertio distingui, vt risibile, & rationale distinguuntur ab equo: vnde syllogismus iste non valet *nullus equus est risibilis, aliquod rationale non est equus: ergo aliquod rationale non est risibile*, est enim antecedens verum, & consequens falsum.

56. Secunda regula, *ex puris particularibus nihil sequitur*, ratio est: quia ut syllogisticè concludat, requiritur, quod si syllogismus sit affirmativus, medium, cum

quo

quo in præmissis identificantur extrema, sic idem perfectè; nam ex unione extremorum cum diversis non sequitur unio eorum inter se; si verò syllogismus sit negativus, requiritur quod medium sit idem, & quod extrema accipiantur in conclusione pro his tantum, pro quibus accepta sunt in præmissis; oportet enim, quod ea, quæ in conclusione dividuntur, sint eadem cum his, quæ in præmissis ununtur, & divisa fuerunt à medio; nam ex eo, quod *A*, identificetur cum medio, & *B*, distinguatur à medio, non sequitur, quod distinguantur inter se *A*, & *B*, vnde hic syllogismus non valet: *aliquis homo est albus; aliquis homo est niger: ergo aliquis niger albus*, quia maior est vera, etiam si solus Petrus sit albus, & minor, etiam si solus Paulus sit niger: vnde medium scilicet *homo* in maiori, & minori non est idem, sed accipitur pro diversis. Eodem defectu laborat hic syllogismus: *aliquod vivens est homo; aliquod vivens non est rationale: ergo aliquod rationale non est homo*. Nam medium accipitur pro diversis: at in hoc syllogismo: *aliquis homo est animal; aliquis equus non est homo: ergo aliquis equus non est animal*, medium est idem, quia cum distribuatur in minori, accipitur pro omnibus, pro quibus in maiori; ceterum *animal* in conclusione accipitur pro his, pro quibus in maiori non fuerat acceptum.

Vnde

Vndè arguitur à non distributo ad distribu-  
tum contra superiorem regulam.

58. Tercia regula. Si aliqua præmissa fuerit  
particularis, conclusio debet esse particularis. Ratio  
est, quia alias ex parte alicuius termini argue-  
retur à non distributo ad distributum: vel in  
neutra præmissa distribueretur medium, ut  
patet in isto: *Omnis homo est rationalis; aliquis  
homo est risibilis: ergo omne risibile est rationale,*  
& in isto: *aliquis homo est albus, omne rationale  
est homo: ergo omne rationale est album.*

58. Quarta regula. Si aliqua præmissa est ne-  
gativa, conclusio debet esse negativa, & patet: quia  
ex identitate vnius extremi cum medio, & re-  
motione alterius à medio, non potest sequi  
identitas, sed sola distinctio extremorum in-  
ter se.

## CAPUT VII.

*De Regulis specialibus syllogismorum pro quolibet  
figura in particulari.*

55. **P**RO modis perfectis primæ figuræ pri-  
ma regula sit: *Maiori existenti particu-  
lari, nil sequitur; & patet, quia si maior esset  
particularis, vel minor esset affirmativa, vel  
negativa, si affirmativa, medium in neutra  
præmissa distribueretur, si negativa, maior  
extremas distribueretur in conclusione, &*

non in præmissis: primum patet in hoc syllogismo: aliqua substantia est homo; omnis equus est substantia: ergo aliquis equus est homo. Secundum patet in isto: aliquis homo est animal, nullus equus est homo. ergo aliquis equus non est animal.

60. Secunda regula. *Minori existente negativa, nihil sequitur*, ratio est, quia tunc maior esset affirmativa: ac proinde maior extremitas non distribueretur in ea, distribueretur autem in conclusione contra sextam regulam generalem.

91. Prima regula pro modis imperfectis primæ figuræ: *Maiori existente particulari negativa nihil sequitur*: Ratio est, quia tunc minor esset affirmativa, ac proinde medium in neutra præmissa esset distributum, ut patet in hoc syllogismo: aliquod animal non est equus, omne sensibile est animal: ergo aliquis equus non est sensibilis.

62. Secunda regula: *Maiori existente particulari affirmativa in syllogismo affirmativo nihil sequitur*. Ratio est eadem cum precedenti, quia medium non distribueretur, ut patet in hoc syllogismo: aliquod animal est equus, omne rationale est animal: ergo aliquis equus est rationalis.

63. Tercia regula: *Maiori existente particulari in syllogismo negativo, nihil sequitur*: ratio est quia argueretur à non distributo ad dis-

tributum ex parte minoris extremitatis, vt in istis syllogismis *omnis homo est animal, aliquod vivens non est homo: ergo aliquod animal non est vivens*, vbi *vivens* non erat distributum in præmissis, & distribuitur in conclusione, & in isto, *nullus homo est equus; aliquod animal est homo: ergo aliquis equus non est animal* in quo *ly animal* quod non erat distributum in minori, distribuitur in conclusione.

64. Pro secunda figura sic prima regula; *ex puris affirmativis nihil sequitur*. Ratio est clara, quia cum medium in utraque præmissa prædicetur, in neutra distribuitur. Secunda regula, *maiori existenti particulari, nil sequitur* quia ex parte maioris extremitatis arguitur à non distributo ad distributum, vt: *aliquod animal est homo; nullus equus est homo: ergo equus non est animal*; Tertia regula, conclusio debet esse negativa & patet, quia vna præmissa debet esse negativa per primam regulam: ergo, & conclusio.

65. Pro tertia figura est prima regula: *Minori existenti negativa nihil sequitur*, quia tunc maior esset affirmativa, & ita in maiori non distribueretur maior extremitas, quæ esset illius prædicatum, & distribueretur in conclusione, cuius esset prædicatum 2. Regula conclusio debet esse particularis, & patet, quia ex præcedenti regula minor debet esse affir-

mativa, ac proinde minor extremitas, quæ est minoris prædicatû, in minori non distribueretur, distribueretur autem in conclusione, cuius subiectum esset, si conclusio esset universalis.

§.

*Corolaria est dictis.*

66. **E**X dictis colliges primò, quod sint defectus in syllogismis, nam, cum defectus sit deviatio à regulis, tot sunt defectus, quot regulæ, quas præscripsimus, & illos facile invenies, si propositum syllogismum attento ad eas examine libraberis.

67. Colliges 2. regulas traditas deservire argumento, quod syllogisticè probativà, si in vi alterius loci precedat, eas obserbare non cogimur: vnde benè valet: *aliquis homo currit, vel disputat; sed non currit: ergo disputat*, ubi ex puris particularibus, sequitur conclusio, & stante vna præmissa negativa, conclusio est affirmativa; quia talis argumentatio non tenet in vi syllogismi sed in vi loci arguendi à disjunctiva, cum destructione vnius partis, ad positionem alterius.

68. Colliges 3. Ex his regulis facile demonstrari, modos syllogismorum utiles, directè concludentes, esse tantum quatuor decim, & modos utiles, indirectè concludentes in prima figura esse tantum quinque, ac per  
con-



consequens optimam fuisse divisionem syllogismorum in præfacto decem, & novem modos traditam ab Aristot. quod constabit prænotando, in qualibet figura posse sex decem constitui modos, quia tot modis potest in eis variari quantitas, & qualitas præmissarum: potest enim duplex præmissa ita combinari, ut utraque sit universalis, vel ita, ut utraque sit particularis, vel ita, ut maior sit universalis, & minor particularis, vel tandem ita, ut maior sit particularis, & minor universalis: & rursus, in qualibet ex his combinationibus potest esse utraque præmissa affirmativa, vel utraque negativa, vel maior affirmativa, & minor negativa, vel maior negativa, & minor affirmativa, ut sequens tabellatibi, declarabit, si advertas in ea, claritatis gratia, combinationem secundum quantitatem vocari dispositionem, & combinationem secundum qualitatem, dici ordinem.

*Prima*: Dispositio est cum utraque præmissa est universalis.

*Secunda*: Cum utraque est particularis.

*Tertia*: Cum maior est particularis, & minor particularis.

*Quarta*: cum maior est particularis, & minor universalis. In qualibet ex his dispositionibus potest constitui quadruplex ordo.

*Primus ordo*: cum utraque præmissa est affirmativa.

*Secundus*: cum utraque est negativa.

*Tertius*: cum maior est affirmativa, & minor negativa.

*Quartus*: cum maior est negativa, & minor affirmativa.

69. En quadruplex dispositio, quæ in quatuor ordinibus divisa, efficit ordines 16. in unaquaque figura, & in tribus figuris ordines, seu modos 48. ex quibus in singulis figuris excipiendi sunt, ut inutiles, quatuor ordines secundæ dispositionis, quia in eis arguitur ex partibus particularibus. Excipiendi præterea sunt, ut inutiles, in qualibet figura secundæ ordines reliquarum trium dispositionum: quo supposito sic colligi potest restare 14. utiles ex directè concludentibus, & in prima figura solos quinque concludentes indirectè, exclusis reliquis per regulas speciales uniuscuiusque figuræ.

70. In primis: pro modis directè concludentibus in prima figura. Primæ dispositionis primus ordo admittitur in *Barbara*. Tertius rejicitur: quia minor est negativa contra secundam regulam specialem huius figuræ, & quartus admittitur in *Celarem*. Tertiæ dispositionis primus ordo admittitur in *Darii*: tertius rejicitur, quia minor est negativa contra 2. regulam: quartus admittitur in *Ferio*.

Quartæ dispositionis omnes ordines reijciuntur, quia maior est in omnibus particularis contra 1. regulam.

71. Ergo ex modis directè concludentibus in prima figura, solum quatuor utiliter concludunt scilicet, *Barbara*, *Celarem*, *Darij*, *Ferio*.

72. Pro modis Indirectè concludentibus in prima figura. Primæ dispositionis primus ordo admittitur in *Baralipon*, tertius in *Fapesmo*, quartus in *Celantes*.

Tertiæ dispositionis primus ordo admittitur in *Dabitis*: tertius, & quartus reijciuntur: quia minor syllogismi negativi est particularis, contra 3. regulam.

Quaræ dispositionis primus ordo reijcitur, quia maior syllogismi affirmativi est particularis contra 2. regulam.

Tertius reijcitur, quia maior est particularis negativa contra 1. regulam. Quartus admittitur in *Frisesomorum*.

73. Ergo ex modis indirectè concludentibus in prima figura tantum quinque utiliter concludunt, scilicet, *Baralipon*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo* *Frisesomorum*.

74. Pro modis secunda figura, primæ dispositionis primus ordo reijcitur, quia utraque, præmissa est affirmativa contra 1. regulam, tertius admittitur in *Camestres*, & quartus in *Cesare*.

Tertiae dispositionis primus ordo rejicitur: quia utraque est affirmativa; tertius admittitur in *Baroco*, & quartus in *Festino*. Quartae dispositionis omnes ordines rejiciuntur: quia maior est particularis contra 2. regulam.

75. Ergo ex modis secundae figurae tantum quatuor utiliter concludunt, scilicet, *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*.

76. Pro modis tertiae figurae. Primae dispositionis primus ordo admittitur in *Darapti*, tertius rejicitur, quia minor est negativa contra secundam regulam: quartus admittitur in *Felapton*. Tertiae dispositionis primus ordo admittitur in *Datifi*, tertius rejicitur, quia minor est negativa. Quartus admittitur in *Ferison*. Quartae dispositionis primus ordo admittitur in *Disamis*, tertius rejicitur, quia minor est negativa, quartus admittitur in *Bocardo*.

77. Ergo ex modis tertiae figurae tantum sex utiliter concludunt, scilicet, *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datifi*, *Bocardo*, *Ferison*. Ergo solum dantur quatuordecim modi utiles, directe concludentes, & in prima figura quinque concludentes indirecte, ad quorum instar non negamus alios posse fieri in secunda, & tertia figura indirecte concludentes.



## CAPUT VIII.

## De Arte inveniendi medium

78. **H**ÆC ars, vix utilis, & in praxi satis difficilis, est ars qua data quacumque propositione, invenitur terminus qui sit medium ad concludendam illam in aliquo certo modo. Pro cuius explicatione supponendum est, terminum in præfenti, alium dici antecedentem, alium consequentem; aliū, repugnantem. Antecedens est, qui infert alium, vt homo respectu animalis: consequens, qui infertur ex alio, vt animal respectu hominis: vbi nota quod termini cōvertibiles sunt invicem antecedentes, & consequentes, quia mutuo se inferunt, vt risibile, & homo; nam bene valet: est homo: ergo est risibilis: est risibilis: ergo est homo: repugnans est, qui alteri non potest convenire, vt equus respectu hominis.

79. Itaque: cum propositio inferenda sit quadruplex, scilicet, universalis affirmativa, universalis negativa, particularis affirmativa & particularis negativa, quadruplex etiā regula, pro inveniendo medio, est constituenda.

80. Prima regula. Ad inferendam universalem affirmativam debet assumi pro medio terminus consequens ad subiectum talis propositionis, & antecedens ad prædicatum: vt si hæc propositio est inferenda. *Omnis homo est animal*: erit conveniens medium *risibile*, quia

Inferitur ex homine, & infert animal. Vnde argues: *omne risibile est animal; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est animal.*

81. Secunda regula. Ad concludendum universalē negativam, debet assumi pro medio terminus, qui sit consequens ad subiectum, & repugnans prædicato: excipe *Camestres*, in quo debet assumi terminus repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum. Ut si propositio inferenda in *Celarem*, v. gr. sit *nullus homo est hinnibilis*, erit aptum medium *rationale*: sed si sit inferenda in *Camestres*, erit aptum *equus*: vnde argues in *Celarem*: *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*; sed in *Camestres* dices: *omne hinnibile est equus; nullus homo est equus; ergo nullus homo est hinnibilis.*

82. Tertia regula. Ad inferendam particularem affirmativam in prima figura, assumi debet pro medio terminus consequens ad subiectum, & antecedens ad prædicatum; in tertia verò, terminus antecedens ad utrumque: ut ad inferendum in prima figura istam propositionem: *aliquis homo est vivens*: est conveniens medium *fersibile*, ita dices: *omne fersibile est vivens aliquis homo est fersibilis; ergo aliquis homo est vivens*: in tertia verò assumes pro medio *rationale*, & dices *omne rationale est homo omne rationale est vivens; ergo aliquod vivens est homo.*

83. Quarta regula. Ad inferendam conclusionem particularem negativam in prima figura, medium erit terminus coniequens, vel antecedens ad subiectum, & repugnans prædicato: idem medium assumi debet pro secunda figura in *Festino*. In *Baroco* autem. debet sumi terminus repugnans subiecto, & consequens ad prædicatum, in tertia verò figura assumitur terminus antecedens ad subiectum, & repugnans prædicato, ut ad inferendum istam propositionem: *aliquis homo non est lapis*, in prima figura, & in *Festino*, erit aptum medium *animal*: ad inferendum in *Baroco*, medium erit *insensibile*, & ad inferendum in tertia figura aptum pro medio *sapiens*.

84. Undè in prima figura argues: *nullum animal est lapis; aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis*. Similiter in *Festino*: *nullus lapis est animal: aliquis homo est animal: ergo aliquis homo non est lapis*. In *Baroco* dices: *omnis lapis est insensibilis; aliquis homo non est insensibilis: ergo aliquis homo non est lapis*. Denique in tertia figura, v. gr. in *Bocardo* sic argues: *aliquod sapiens non est lapis; omnis sapiens est homo: ergo aliquis homo non est lapis*. Aliquas dictiones in venerunt Dialectici interseruentes huic arti, sed quia confusionem, potius quam lucem, afferunt; eas consultò prætermittimus.

## CAPUT IX.

## De syllogismo expositorio.

85 **H**Actenus egimus de syllogismo com-  
muni, modo pauca dicemus de alijs  
speciebus, in quas supra divisimus syllogismū,  
& primo de syllogismo expositorio. Exposito-  
rius est, cuius medium est terminus singularis, vt  
iste; *Petrus est homo; Petrus est animal; ergo homo  
est animal*: dicitur expositorius, quia vt ait Div.  
Thom. opusc. 47. est quædam sensibilis reso-  
lutio exponēs ad sensum suam conclusionem.  
Vndè non innititur illi principio, *dici de omni,  
&c.* sed alteri, nempe, *quæ sunt eadem vniter-  
sic, sunt eadem inter se.*

86. Regulæ pro syllogismo expositorio  
sunt tres. Prima, medium sit perfectè singu-  
lare, ita, vt nec mediatè, nec immediatè sig-  
nificet plura, nec res significata sit pluribus  
cōmunis communitate Logica, aut commu-  
nitate reali, & ideo Deus non est medium con-  
gruum ad probandam identitatem persona-  
rum inter se, in hoc syllogismo: *Deus est Pater;  
Deus est Filius; ergo Filius est Pater*: quia ly *Deus*,  
licèt immediatè vnā Deitatē significet ac-  
cipitur pro pluribus personis, & licèt res sig-  
nificata, nempe Deitas, non sit communis lo-  
gicè pluribus, id est, p̄r sui multiplicationē in  
illis,



illis, est tamen pluribus realiter communis per identitatem cum illis. Unde virtualiter est terminus communis, & arguitur ex puris particularibus, cum deberet in aliqua distribui medium hoc pacto: *quidquid est Deus, est Pater: Deus est Filius: ergo Filius est Pater*: qui syllogismus optimus est ex parte formæ, sed maior est falsa.

87. Secunda regula: circa extremitates. quando sunt termini communes, observandæ sunt omnes regulæ syllogismorum supra traditæ, circa medium verò observandæ sicut omnes, præter eas, quæ dicunt de medijs quantitate. Unde istæ syllogismus non concludit: *Petrus est animal, Petrus non est equus, ergo equus non est animal*; quia ex parte maioris extremitas arguitur à non distributo ad distributum: nec iste valet: *Quidquid tu amas est virtus; quidquid tu odisti est vitium: ergo vitium est virtus*. Quia mediū nempe *tu* in neutra præmissa est totale extremū: ac proinde neuter tenet, quia in eis non observantur regulæ superius constitutæ.

88. Tertia regula. In qualibet figura potest formari syllogismus expositivus, aptius tamen fit in tertia figura. Primam partem facile comprobabis exemplis. Secunda verò ex eo constant, quia medium in tertia figura semper subjicitur, & terminus singularis solum potest subjici in propositione respectu

termini communis, nisi propositio sit indirecta.

89. Secundò loco occurrit syllogismus *hypotheticus*, cuius utraque, vel altera præmissa est *hypothetica*. Verùm ex præmissa, vel præmissis hypotheticis dupliciter potest concludi. Primo sic: *Si Sol lucet, dies est; Sol lucet: ergo dies est* vel sic, *Petrus currit, vel disputat; non currit: ergo disputat*. Secundo in hunc modum: *omnis homo, vel currit, vel disputat; Petrus est homo: ergo vel currit, vel disputat*: vel in hunc modum: *omnis homo est iudicandus, & omnis iustus est salvandus; sed Petrus est homo, & est iustus: ergo est iudicandus, & salvandus*: ex quibus primi propriè non sunt syllogismi, quia non concludunt unionem extremorùm in unionis eorùm cum medio; unde, nec concludunt virtute illius principij *dici de omni*; vel illius, *quæ sunt eadem unitertio*; sed in vi arguenti, à conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis, & in vi loci, à disiunctiva cum destructione unius partis ad alterius positionem, posteriores autem sũt propriè syllogismi, circa quos nulla specialis emergit difficultas, quam ex hætenus constitutis superare non possis, cum de illis, atque de categoricis par in omnibus habenda sit ratio.

90. Super sunt tamèn alij syllogismi, ut demonstrativi, probabiles, & sophistici. Sed  
quia

quia conveniunt in forma, & tantum differunt in materia, eorum consideratio non est nostri instituti in hoc opere, in quo instrumenta sciendi solum ex parte formæ tractamus. Excipe ex parte syllogismum sophisticum, quia contingit, illum esse talem, non solum ratione materiæ, sed etiã ratione formæ; cum aliquando sit fallax, quia propositiones ex quibus procedit, apparent probabiles, & non sunt; aliquando verò, quia syllogistica dispositio legitima apparet, & non est: idcirco brebiter enumerabimus fallacias, hoc est, locos, ex quibus sophistæ suas solent argutias depromere, sed prius, quasi per occasionem, reliquos arguendi locos succinctè insinuabimus, quia digni sunt ut sciantur, & quia opportunior alibi eos recensendi locus non superpetet.

CAPV. T. X.

*de Locis arguendi.*

61. **L**ocus est argumenti sedes, id est propriarium, ex quo eruntur argumenta ad quamlibet propositionem concludendam, & est duplex, prioristicus, & posterioristicus, primus attenditur ratione formæ non concernendo materiam, quia solum ministrat antecedens, sive verum, sive falsum, ex quo, sive gratis, sive necessario admissio, infallibiliter consequens

infertur : secundus verò attenditur ratione materiæ ; quia ministrat antecedens verum, probabile, vel aparens, vt veritatem, probabilitatem, aut apparientiam possit in consequens derivare, iuxta illud Philosophi *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Locos Prioristicos moiori ex parte tradidimus, & explicabimus sparsim in his tribus libris, quare ne actum agere videamus ; eos enumerando percurrere sat erit.

1. Locus Prioristicus est, ab inferiori per se ad suum superius affirmativè, vt: *est homo: ergo non est homo.*

2. A superiori ad inferius negativè, vt: *non est animal: ergo est homo.*

3. A definitione ad definitum, & è converso, vt: *est homo: ergo est animal rationale, & econtra.*

4. A diviso ad omnia membra dividencia disiunctivè, & econtra, sive affirmativè, sive negativè, vt: *est animal: ergo rationale, vt irrationale, & econverso.*

5. A diviso ad vnum membrum cum negatione aliorum affirmativè.

6. A negatione divisi ad negationem cuiuslibet membri in divisione per se.

7. In terminis contrarijs, & disparatis, ab affirmativa vnius, ad negativam alterius, vt *Petrus est homo: ergo non est Leo: est*  
al.

*albus: ergo non est niger*, & in contrarijs immediatis à negativa vnius ad affirmativam alterius, *ut non est anus: ergo ager: non tamen immediatis*, vnde non valet: *non est albus: ergo est niger*: quia dantur colores medij, imò nec in immediatis, posita reduplicatione, *ut propositio secundum se non est falsa: ergo secundum se est vera.*

8. Ab vno correlativo totali ad aliud in propositione secundi adiacentis, *ut: Pater est ergo Filius est.*

9. A termino privativo ad infinitum affirmativè, *ut: est cæcus: ergo est non videns*, sed non negativè, *ut: lapis non est cæcus: ergo non est non videns*, nec cum reduplicatione, *ut: propositio secundum se non est vera: ergo secundum se est falsa*: nec valet ab infinito ab privativum affirmativè, *ut lapis est non videns: ergo est cæcus.*

10. Ab affirmativa ad negativam variato prædicato penès finitum, & infinitum, & à negativa ad affirmativam, cum eadem variatione, & constantia, *ut homo non est albus, & homo est: ergo homo est non albus.*

11. A propositione de tertio adiacente ad propositionem de secundo adiacente in materia naturali affirmativè, demmodo propositio non sit exclusiva, nec prædicatum sit distrahens, idest, repugnans existentie sub

iecti, ut homo est albus: ergo est; sed non valet: tantum homo est grammaticus: ergo est: nec homo est mortuus: ergo est: negativè autem non valet, ut: homo non est albus: ergo non est; nec ab affirmativa in materia naturali, ut: Petrus est homo: ergo Petrus est.

12. Ab indefinita ad vniuersalem in materia naturali affirmativè, ut: homo est animal: ergo omnis homo est animal.

13. Ab amplo ad non amplum cum distributione ampli, & posita constantia non ampli affirmativè, & negativè etiam sine constantia.

A non amplo ad amplum sine distributione ampli, & posita constantia non ampli negativè; & affirmativè, etiam sine constantia. Vtriusque loci exempla dedimus supra lib. 2. cap. 13.

14. A subalternante ad subalternatam affirmativè, & negativè, ut: omnis homo currit: ergo aliquis homo currit.

15. A conversa ad convertentem: ut: omnis homo est albus: ergo aliquid album est homo.

16. A modali composita ad divisam affirmativè, & à divisa ad compositam negativè. A composita ad seipsum officiantem, & converso. A modali de necesse, & impossibili ad seipsum de se esse. A propositione de intellectu

esse ad modalem de possibili.

17. A quacumque exponibili, seu resolubili ad omnes suas resolventes, & e converso, & ab exponibili copulativè ad quamlibet exponentium: necnon à qualibet exponentium ad exponibilem disiunctivè.

18. A conditionali affirmativa cum positione antecedentis ad positionem consequentis, & à conditionali cum destructione consequentis ad destructionem antecedentis, necnon à conditionali ad disiunctivam constantem ex consequente, & contradictorio antecedentis.

19. A copulativa ad partem affirmativè.

20. A parte disiunctivæ affirmativæ ad totam disiunctivam: & à disiunctiva cum destructione unius partis ad positionem alterius.

21. A rationali ad conditionalem ex eisdem terminis, & à causali ad rationalem, & conditionalem.

22. A termino distributo ad non distributum affirmativè, & negativè.

23. De primo ad ultimum.

24. Ab opposito consequentis ad propositum antecedentis.

25. Locus posterioristicus est triplex Analyticus, Topicus, & Sophisticus. Analyticus, idest resolutorius, est sedes argumenti demonstrativi, & est multiplex, primus, à de-

initione, secundus a proprio, tertius à causa, quartus ab effectu, quintus à correlativo, sextus ab impossibili, vel repugnantia.

94. Locus Topicus est sedes argumenti Dialectici, seu opinativi. Alius est intrinsecus, alius extrinsecus, alius medius. Intrinsecus, qui pertinet ad substantiam rei, ut locus à definitione: extrinsecus, quando desumitur argumentum ab his, quæ sunt extrinseca rei, ut ab oppositis. Medius quando partim sumitur ab extrinseco, partim ab intrinseco, ut locus à coniungatis.

94: Loci intrinsecis septem. Primus à definitione, vel à differentia, ut *animal rationale vivit secundum rationem: ergo homo vivit secundum rationem*. Secundus à genere: ut: *omne animal diligit sibi simile: ergo homo diligit hominem*. Tertius à toto, & partibus: ut, *fundamentum non ergo est: domus non est*: quartus à causa, & effectu ut, *occidere proximum: malum est: ergo insidiari illi, & arma preparare, malum est*: quintus à generatione, & corruptione, ut: *suspendi latronem bonum est: ergo latro malus est*: Sextus ab usu, ut, *usus artis magicæ malus est: ergo ars ipsa mala est*: septimus à communiter accidentibus: ut *hodie Bachanalia sunt: ergo aliqui inebriobuntur*.

95. Loci extrinseci sunt quinque, primus ab



ab oppositis, ut calor calefacit: ergo frigus frigefacit. Secundus à comparatis, scilicet, à minori, & maiori, & pari: ut non te vicerunt decem: ergo non te vincunt quinque: vicit te unus ergo vincunt te duo: Parricida deiiciendus est in flumen: ergo Matricida. Tertius à simili: ut oculi gubernant corpus: ergo intellectus animam. Quartus à propositione, ut Navarchus debet esse perritus: ergo rector urbis. Quintus ab autoritate, ut: astronomus dicit futurum esse Eclipsim: ergo erit Eclipsis.

96. Locus medius est triplex. Primus à coniungatis, quæ dicuntur ita, quasi supposita iugo significationis eiusdem, ut iustus, & iusticia, ut: iusticia est veneranda: ergo iustus est venerandus. Secundus à casibus, ut: quod iustum est bonum est: ergo quod iuste fit, bene fit. Tertius à comparativis, superlativis, & positivis, ut non est doctus: ergo non est doctior, est doctissimus: ergo doctus: doctus est laude dignus ergo magis doctus maiori laude dignus.

97. Locus Sophisticus consistit in habitu-  
dine apparenti inferentis ad illatum desump-  
ta ex regula falsa, quæ apparet vera, dicitur  
fallacia, quia de se est causa fallendi. Tre-  
decim fallacias retenset Aristoteles, ex qui-  
bus sex pertinent ad voces significantes, sep-  
tem ad res significatas. Illæ habent apparen-  
tiam in voce, istæ habent causam apparen-  
tiam

ex parte rei. Fallacia dictionis sunt *equivocatio*, *amphibologia*, *accentus*, *compositio*, *divisio*, *figura dictionis*. *Equivocatio* est error proveniens ex eo, quod in praemissis ponitur terminus equivocus: ut quidquid ridet deducit os: pratum ridet: ergo deducit os. *Amphibologia* est error proveniens ex eo, quod oratio una apparens, plures habeat sensus, ut quod est Aristotelis, possidetur ab Arist. hic liber, v. g. *Logica*, est Aristot. ergo possidetur ab Aristot. *Accentus* est deceptio proveniens ex diversa pronuntiatione: ut qui occidit punitur; sol occidit: ergo punitur.

*Compositio* est error proveniens à mutatione sensus compositi in divisum: ut praescitum salvari est impossibile: ergo praescitus non potest salvari. *Divisio* provenit à mutatione sensus divisi in compositum, ut currens potest quiescere: ergo possibile est, quod currens quiescat. *Figura dictionis*, est error oriens ex transitu unius vocis in aliam secundum genus grammaticum: ut omnis substantia alba est colorata, vir est substantia alba: ergo vir est colorata: vel secundum genus logicum, id est, praedicamentum: ut quidquid fuisti heri, es hodie; heri fuisti novitius: ergo hodie: vel secundum speciem intra idem praedicamentum, ut digitos, quos olim habebas, habes hodie; olim habebas parvos: ergo hodie,

98. Fallaciae extra dictionem se tenentes ex parte rei significatae sunt septem: Prima est *fallacia accidentis*, & est error proveniens ex eo quod existimatur aliquid similiter convenire subiecto, & accidenti, ut hic canis est pater: hic canis est tuus: ergo est tuus pater: homo est species homo est animal: ergo animal est species, ubi quod est proprium subiecti tribuitur accidenti.

Secunda: *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*, & contingit, quando, quod convenit cum addito, amplificatur sine illo: ut Aethiops est albus secundum dentes: ergo est albus, Hic est homo pictus: ergo est homo.

Tertia: *est ignorantia Elenchi*, vel redargutionis, & accidit cum non contradictoria assumitur, ut conditoria, ut Petrus excedit Paulum, & non excedit Franciscum: ergo excedit, & non excedit.

Quarta: *est petitio principij*. Quando ad aliquid probandum assumitur pro principio id ipsam, quod in quaestione versatur, ut animal rationale currit: ergo homo currit.

Quinta: *fallacia consequentis*. Cum existimatur antecedens sequi ad consequens, sicut consequens ad antecedens: ut currens movetur: Petrus movetur: ergo currit.

Sexta: *secundum non causam, ut causam*, & provenit ex eo, quod inter praemissas pro-

ponitur aliqua, quæ nihil ad conclusionem operatur, ac si illius esset causa, ut si dicas non esse vacandam *Barijs* quia pluribus fuerunt nocumento

Septimo, plurium interrogationum ut unius. Quæ contingit, quando ad interrogationem quæ multiplex est, petitur una responsio. Ut si quæras an luxuria, castitas sit bona: & si de Petro cæco, & Paulo vidente interroges. Petrus, & Paulus sunt ne cæci, & videntes? Debes ergo sub distinctione respondere, ne quodcumque dixerit falsi convincaris.


Hactenus Dialecticæ præcepta quantum ad Tyronibus instruendis simplici doctrina tradidimus: super est modò, quod disputatio stylo in examen vocata, vera comprobentur: sed cum, nec incipientes statim appropinquarent argumentorum spiculis, nec materiam dignitas brevi sit contenta compendio ideo, re melius inspecta, quæstiones, quæ in alijs editionibus textus explanationi adiunximus, integra libro in lucem statim edendo referuamus.

FIN.











F . A .

16

COL

(1744)